# DECRETA
# EDITA IN DIOECESANA SYNODO AGATHENSI
ANNO DOMINI M. DC. XXI.

REVERENDISS. DOMINO

# HECTORRE DIOTALLEVIO
PATRITIO ARIMINENSI,

EPISCOPO S. AGATHAE GOTHORVM.



BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III

Neapoli, Ex Typographia Io. Dominici Roncalioli 1625.

Digitized by Google

Imprimatur. Lælius Taſtius Vic. General. Neap.

P. Marcus Antonius Palumbus dep. vidit.

Alexander Ruſſus Canon. deput. vidit.

Digitized by Google

# TABVLA

## Titulorum ordine alphabetico.

DE Babtiſmo titulus x. pag. 20
Confirmatione tit. xi. 22
Celebratione miſſarum tit. xiij. 29
Cataſto bonorum Eccleſiaſticorum & locorum piorum faciendo tit. xxxi. 90
Euchariſtiæ ſacramento tit. xij. 23
Extremæ vnctionis ſacramento tit. xvij. 55
Eccleſijs, & earum reparatione cultu & ſeruitio tit. xx. 64
Examinatoribus ſynodalibus. tit. xxvi. 98
Fidei tuendæ ſtudio & diligentia tit iij. 7
Fidei principijs à parochis tradendis tit. iv. 9
Feſtorum dierum obſeruatione tit. vij. 16
Ieiunijs tit. xv. 45
Infirmorum curatione. tit. xvi. 49
Iurepatronatus & iuramento á perſonis præſtando tit. xxx. 88
Locorum piorum adminiſtratione, tit. 27. 79
Matrimonij ſacramento tit. xix. 60
Oratione tit. vi. 13
Ordinis ſacramento tit. xviij. 57
Predicatione verbi Dei tit. v. 11

a a Pœni-

Pœnitentiæ ſacramento tit. xiv. 36
Præbenda theologali, & lectione habenda tit. xxi. 66
Pœnitentiariæ erectione tit. xxii. 67
Punctatoribus tit. xxv. 75
Pœnis tit. xxxiv. 97
Proceſſionibus tit. xiv. 18
Reſidentia tit. xxiv. 74
Repræſentationibus tollendis tit. xxxii. 93
Synodorum diœſenaorum interpretatione, ac reformatione tit. i. 1
Sum. Trinit. fide catholica, & doctrina Chriſtiana tit. ij. 3
Sacramentis tit. viii. 17
Sepulturis tit. xxviii. 82
Vita & honeſtate clericorũ & obſequio per eos eccleſijs præſtando eorumdemqu; immunitatibus tit. tit. xxiii. 69
Viſitatione tit. xxix. 87
Vſuris & contractibus illicitis abolendis tit. xxxiii. 94
Zingaris obſeruandis tit. xxxv. 107

Ta-

# TABVLA

## Titulorum ordine capitulorum.

DE Synodorum diœceſanorum interpretatione ac reformatione tit. 1.
Sum. Trinit. fide cath. & doctrina Chriſtiana tit. 2.
Fidei tuendæ ſtudio & diligentia. tit. 3.
Fidei principijs à parochis tradendis tit. 4.
Predicatione verbi Dei tit. 5.
Oratione tit. 6.
Feſtorum dierum obſeruatione. tit. 7.
Sacramentis tit. 8. Proceſſionibus tit. 9.
Baptiſmo tit. 10. Confirmatione tit. 11.
Euchariſtiæ ſacramento tit. 12.
Celebratione miſſarum tit 13.
Pœnitentiæ ſacramento tit. 14.
Ieiunijs tit. 15.
Infirmorum curatione tit. 16.
Extremæ vnctionis ſacramento tit. 17.
Ordinis ſacramento tit. 18.
Matrimonij ſacramento. tit. 19.
Eccleſijs, & earum reparatione cultu & ſeruitio tit. 20.
Præbenda theologali & lectione habenda tit. 21.
Pœnitentiariæ erectione. tit. 22.
Vita & honeſtate clericorum ac obſequio per eos Eccleſijs præſtando eorumdemque immunitatibus tit. 23.
Reſidentia tit. 24. Punctatoribus tit. 25.
Examinatoribus ſynodalibus tit. 26.
Locorum piorum adminiſtratione tit. 27.
Sepulturis tit 28. Viſitatione tit. 29.
Iurepatronatus & iuramento à perſonis probando tit. 30
Cataſto bonorũ Eccleſiaſticorũ & locorũ piorũ faciẽdo t. 31.
Repræſentationibus tollendis tit. 32.
Vſuris tit. 33.
Pœnis tit. 34.
Zingaris tit. 35.

Digitized by Google

# EDICTVM

## Vltimum indictionis ſynodi.

### Hector Diotalleuius Ariminenſis Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Agathen.

CVm alio noſtro edicto notificauerimus omnibus, & ſingulis ad quos quoquo modo pertinet ſynodum diœceſanum Deo benefauente habendam ſub 29. currentis menſis Aprilis in Terra Argentij in Eccleſia Archipresbiterali: quod poſtea pro parte R. Capituli Cathedralis noſtræ fuerit nobis ſupplicatum vt hic in cathedrali noſtra haberetur eorum precibus inclinati retenta eadem die 29. & hora 11. omnibus,& ſingulis in eodem edicto nominatis, & monitis ſignificamus,& intimamus qualiter dicta die 29. & hora 11. hic in cathedrali noſtra habebitur monētes omnes ſub poenis in edicto (quod ſolum quo ad locū innouamus) huc accedere. In quorum fidem &c. Datum in Epiſcopali Palatio noſtro Agathen. die 27. Aprilis 1621.

Quæ

Digitized by Google

Quæ edicta fuerunt publicata & intimata prout ex eorum originalibus & relationibus &c. & impleta fuerũt ea quæ ad ordinationem ſynodi requiruntur prout in originali, & examinatores ſynodales renuntiati ſunt RR. D. Bartholomeus Floretta Archidiaconus D. Titus Calandrellus Decanus V.I.D. Don Franciſcus Limata Primicerius, D. Berardus Caudinus Theſaurarius S. Th. D. Don Vincentius Manerius & D. Pompilius Perna V.I.D. Canonicus qui iurarunt iuxta formam S. Trid. Concilij ſeſſ. 24. de refor. c. 18.

Et Iudices ſynodales declarati ſunt, antedicti RR. Archidiaconus, Decanus & Theſaurarius, & R. Abbas S. Ioannis Congregationis Montis Virginis in Terra Argentij.

Digitized by Google

## *Præfatio Reuerendiſſimi Epiſcopi ad clerum.*

QVod hucuſq; probis hæc diù optata ſynodica comitia ſint protracta, neq; iuris ignoratio, publiceue neceſſitatis cõtemptus, aut muneris noſtri obliuio, ſed quorumdam ingenia nouis obſiſtere, veteraq; pariter abolere nitentium temporumq; præſentium calamitates quibus tot tantaſq; nouis controuerſias suboriri paciſq; federa turbari non abſq; lachrimis intuemur, efficere: quibus argumentis prouincialibus quoq; ſynodis temperatum, non temerè conijcimus. Et dum hæc quidem ſemel atq; iterum Illuſtriſſimis Patribus Sac. Trid. Concil. interpretibus renunciauerimus in relationibus noſtris, de annis vndecimo, & decimoſexto ſupra milleſimum ſexcenteſimum, id ipſis minimè improbantibus, dilatum tolerabiliter videbatur, quòd tamen nouiſſimæ relationi noſtræ idem ſuggerenti, reſcripto moniti ſumus, ſynodum celebrare: prorogationem vlteriorem crimini tribuendam cogimur profiteri. Sanctorum igitur exemplis ſacris canonibus, concilijs, & iuſſionibus excitati, opus ſanè arduum, debitum tamen veſtra poſt Deum pietate, auxilioque freti: aggredi conati ſumus, Diuino itaque implorato præſidio, prudentiæq; veſtræ iudicio in id aduocato, ſequentia ſalubriter in Domino ad eius gloriam, morum reformationem, & animarum ſalutem, decreuimus, quæ vt neminem lateant, hic nota fieri mandamus.

Digitized by Google

# DE SYNODORVM DIOECESANORVM INTERPRETATIONE, AC REFORMATIONE

## TITVLVS I.

STATVTIS antiquis huius Eccleſiæ, & conſtitutionibus ſynodalibus Agathenſibus, de annis 1585. & 1587. ſub bo. mem. Feliciano Epiſcopo editis, & ſub bo. mem. Iulio Anteceſſoribus noſtris, de anno 1597. compoſitis, ſerio per nos recognitis, & pluries etiam acto ſuper his cum aliquibus RR. Capituli Dignitatibus, & Canonicis Sacræ Theolog. ac iuris vtriuſque D. D. ad hoc deputatis, deinde etiam cum R. Cathedr. noſtræ Capitulo, ad hoc ter conuocato: poſtremò cum vniuerſæ huius Diœceſis noſtræ grauiori Clero, collatis; ſalubribus, nec ſanè paucis decretis, quæ in noua hac ſynodo ex illis allegantur, indicantur, vel reponuntur

exceptis conſtitutionibus etiam capitularibus cathedralis noſtræ, decretiſque ſuper proceſſionibus, & obſequijs Epiſcopo quomodocumque debitis, & vnionibus, ac diſmembrationibus eccleſiarum, earũdemque finibus, ſtatutis etiam ac ordinationibus pro directione cõfraternitatum, & concionatorum ſaluis, quatenus nihil contra per nos fuerit ordinatum; pœniſq; temporalibus contra quoſcumque negligentes, inobedientes, & delinquentes retentis, vbi nulla ſpecialis per nos prouiſio noua facta reperitur, præſertim iuxta rubricam de pœnis, vbi plures ex illis miſericorditer attemperauimus, alias etiam abrogauimus; placuit, reliqua in eis contenta, niſi vſu probata ſint, ad iuris communis terminos reducere, ne plurium euoluendorũ voluminum neceſſitas, impenſa, & frequentiarum cenſurarum, & lethalis culpæ, ſeu maledictionis æternæ pœnæ, in eis contentæ, quas reuocamus; diœceſanorum noſtrorum animos ac uires torquerent; Etenim hæc vna Synodus probis ſufficere, eoſdemque inſtruere poteſt, ſi quæ tamen dubia ſuper his orientur, nobis,

bis, & ſucceſſionibus noſtris eorum interpretationem & declarationẽ reſeruamus. Quapropter breues has, veſtroque conſilio probatas ſynodales conſtitutiones, pari quò vobis diriguntur, pio gratoque animo ſuſcipite, ac diligenter obſeruate; vt eo celeriori curſu noſmet: & curæ veſtræ ſubditos in viam Domini dirigere valeatis, quo expeditius iter, & complanatum ſatis vobis panditur.

## *De ſumma Trinitat. fide catholica, & doctrina chriſtiana. Tit. II.*

PRima ſanctæ fidei rudimenta chriſtianos omnes adultos ſcire debere, ſacra concilia docent, communiſque Theologorum, & canoniſtarum firmat ſententia, & teneri vnumquemque explicitè ſcire, & credere ſaltem myſteria illa quæ proponuntur, & ſolẽpniter ab Eccleſia celebrantur, vt enim inquit S. Ambroſius, etſi non licet mihi ſcire, quemadmodum natus ſit, non licet tamen neſcire quod natus ſit: ſeriem generationis ignoro, ſed auctorem generationis agnoſco. Non interfuimus cùm

ex Patre Dei filius naſceretur; ſed interfuimus cum à Patre Dei filius diceretur: proinde qualis quantaque ſit cuiuslibet fidelis obligatio diſcendi chriſtianam doctrinam, & parochorum in primis ac patrum famil. & patrinorum ſpiritualium, eamd. docendi vnuſquiſque intelligere poteſt & ex Conc. Lateranen. ſub Leone X. & Trid. Conc. ſeſſ. 24. de refor. c. 4.

§ 1 Quapropter eoſd. in primis vehemẽter in Domino monemus, ſuæ memores eſſe obligationis pœnas omnes, excommunicatione tamen excepta, contra quoſcumque in edictis contentas innouantes, contra negligentes diſcere, vel docere hortamurq; omnes vtriuſq; ſexus fideles vehementer in Domino, eam quolibet dominico & feſto die deuotè frequentare, ſocietati adſcribi, indulgentiarum participes fieri, diuinorum memores eſſe beneficiorum, maximè autem pueros atq; puellas & reliquas perſonas rudes & ſimplices: mandantes parochis, vt tabellam conficiant in qua præſertim puerorum, & ignorantium nomina deſcribantur, & in ea notentur, qui illam frequentent vel negligant,

gant, vt eo magis extimulentur ad diſcendum, & ex ea etiam pueros apud præſentes accuſent, & rudes inexcuſabiliter increpare valeant, comminantes eis abſolutionis beneficium denegan: & poſt paſcha meritò arcendos etiam eſſe ab Eccleſiæ ingreſſu.

§ 2 Commonentes omnes non ſibi blandiri per hoc, quod fidei articulos memoriter teneant, niſi etiam illorum vim, & ſenſum percipiant. quem ſeriò diligenter, & pro adeuntium captu, ex cathechiſmo & SS. Patrum ſcriptis, à rectoribus Eccleſiarum ſedulo explicari eo magis cupimus, & præcipimus; quò id à concionatoribus tamquam proprium parochorum munus præteritum experimur; vt explicitè nouerit ſaltem vnuſquiſque, Sanctiſſimæ Trinitatis, & vnitatis Dei myſterium, diuinarum perſonarum nomina, incarnationemquoque paſſionem, mortem, ſepulturam, & reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſdemque aſcenſionem in cælum, ac futurum iudicium articulos etiam ad Eccleſiam pertinentes plene intelligant, legis quoque diuinæ & Eccleſia præcepta,

tali-

taliterque edocti, omnipotenti Deo grati eſſe nouerint, ac de propria ſalute ſolicitis: cuius rei gratia, & nos vnanimiter & ex toto corde, eamdem catholicam fidē iuxta ſubſcriptam formulam, à fœlicis recordationis Pij Papæ IV. traditam, initium ſumentes à Domino, profeſſi ſumus.

§ 3 Monitis etiam ijs qui ad eam emittendam tenentur: quo autem id fiat certiori ac perfectiori modo, illud erit præcipuè obſeruandum: vt verbis iuxta præſcriptā formulam conceptis, publicè & palam fiat coram nobis, vel Vicarijs noſtris, aut ſuperioribus religioſorum, ac duobus ſaltem teſtibus, cū ipſius profitentis ſubſcriptione, in libello peculiari ad id parato.

§ 4 Hortamur etiam infirmos poſt Sacramentum pœnitentiæ, eamdem fidei profeſſionem emittere, vt validiſſimo ſe muniāt clypeo aduerſus tela hoſtis nequiſſimi, vel ſaltem ſymbolum apoſtolicum pronuntiare.

## *De Fidei tuendæ ſtudio & diligentia.*
## *Tit: iij.*

FIdeles omnes maximè aũt curatos hortamur in Domino, ſolerter inuigilare ne quiſquam à recta credendi forma, vel minimum quid declinet, aut contra catholicam fidem dixerit aut fecerit: monere ẽt eos ſæpe volumus in concionibus, incantationes & carmina ſiue ore pronuntiata, ſiue chartulis & membranulis ſcripta, aut laminis, vel anulis inciſa, nullis hominum aut animalium neceſſitatibus aut infirmitatibus remediũ poſſe conferre, non ægros iuuare, ſed hæc & ſimilia, feces eſſe gentilium, & hoſtis antiqui inſidias & laqueos, quibus ille perfidus, genus humanum decipere nititur. Proinde cauere ab his & omnibus alijs ſuperſtitionibus, & diabolicis curioſitatibus, & recurſu ad ſortilegas & ſuperſtitioſas perſonas quin teneri vnũquemque non ſolum hæreticos, ſed etiam ſuſpectos de hæreſi, curiæ Eccleſiaſticæ denuntiare, ſub poenis & cenſuris præſertim in bullis Gregorij 9 Innoc.4.& Nicolai 3. Pontificum contentis: ſuſpectos au-

tem

tem eſſe eos qui dæmones honorificè inuocant, vel eis quoquomodo reuerentiam exhibent, ſacramenta, vel ſacra ſortilegijs & ſuperſtitionibus miſcentes, ſacra etiam ſcriptura in illis abutentes, hæreticaliter maxime autem ex leui cauſa & conſuetudine blaſphemantes, & ſimiles: qualiter maleficos, ſacrilegos, magos, incantatores, lamias, ſtrigas, cæteroſque ſimiles impunè viuere, alioſque inficere, & docere ſua culpa, & ſilentio, nemo cum iactura ſalutis propriæ permittat.

§ 1. Curabunt etiam parochi diligentem adhibere curam, de nouis incolis in eam aduentãtibus, qui eo nomine magis ſuſpecti erunt, ſi ſæpius eos domicilium, & ſolium vertere intellexerint, & ex vna in aliã parochiam aut diœceſim frequenter commigrare, de quorũ vitæ ratione exquirant à vicinis, & ab his qui eos eorumque familiam nouerint, antequam illuc aduentaſſent, maxime eos qui ex Germania, Heluetijs, & alijs regionibus ſuſpectis ſunt oriundi, & piſtoriam artem exercent, vel apud piſtores recipere ſe conſueuerunt, diligenter obſeruabunt, eoſdemque interrogabunt,

bunt, an fidei rudimenta teneāt, an & quos apud ſe libros aut libellos habeant, an ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, an diebus dominicis, & feſtiuis ſacro interſint, & ſi quæ ſuſcipio fuerit, ſtatim nobis vel Vicario noſtro generali indicabunt.

*De fidei principijs à parochis tradendis. Tit. IV.*

QVamquam conatus noſtros in fidei principijs tradendis irritos penè redditos, damnabili ſegnitie cognoſcimus, muneri tamen noſtro, in re certè grauiſſima Deo dirigente nolumus deeſſe: quare præter ea, quæ ſupra de Sum. Trinit. in hoc genere dicta sūt, parochis omnibus ſub pœna arbitrio mādamus, vt ſinguli in ſuas parochias, vel alibi de noſtra vel Vicariorū noſtrorum licentia, ſtata hora, ad pulſum campanæ, & nolula etiam per parochiam ſi commodè fieri poteſt præmiſſa, dominicis ac feſtis diebus iuxta Sac. Conc. Trident. decretum, populum conuocent, ibiq; rudes omnes atque pueros in primis, &

 puel-

puellas ſeparatim, fidei rudimenta & doctrinam Chriſtianam, ſummatim doceant; vtq; honeſtè, domi, foriſque, & compoſitè vitam gerant, admoneant; vt parentes ſpirituales, & carnales diligant, debitoq; honore habeāt; ſocietates ſi alicubi erectæ non eſſent inſtituant, per nos approbandas, officiales deputent, indulgentias à fel. record. Paulo Papa V. conceſſas proponant; notificantes aggregationem, per nos vſque ab anno primo Epiſcopatus noſtri archiconfraternitati de Vrbe obtentam; cum dictarum indulgentiarum participatione pro vniuerſa diæceſi. quod ſi fruſtratam diligentiam omnem compererint, poſt ſæpe monitum populum de tam dānabili negligentia nobis renuntient, vt de vlteriori remedio prouideri poſſit. Interim non abſoluant ignorantes ſymbolum apoſtolicum, cum oratione dominicali, & ſalutatione angelica, nec ad celebrationem matrimonij admittant, nec ad ſuſcipien. ſacramentum confirmationis, vel alios ad illud præſentandum.

De

## De Prædicatione Verbi Dei. Tit. v.

ARchipresbyteros plebanos, & parochos omnes, curam animarũ habentes obligationis ſuæ circa Verbi Dei annunciationem memores eſſe cupimus: proinde cum diebus dominicis ſaltem, & feſtis per ſe ipſos vel alios ab Epiſcopo approbandos, ſi legitime impediti fuerint plebes ſibi commiſſas ſalutari verbo paſcere teneantur, quod, & aduentus, & quadrageſimæ etiam tempore, ad eoſdem pertinet ſtudeant muneri ſuo non deeſſe, populumq; ſedulo moneant, dictante eod. Sac. Conc. Trid. vnũquemq; teneri parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt ad audiendũ verbum Dei, quocirca congregationes eo tempore fieri nolumus, neque miſſas celebrari ante ſermonem ſaltem expletum.

Quare inter miſſarũ ſolemnia prædictis diebus, ex *ijs*, quæ leguntur in miſſa per ſe, vel per alios aliquid frequenter exponãt; & inter cætera ſanctiſſimi ſacrificij myſterium declarent, catheſim etiam de ſingulis ſacramentis præſcriptam, & de his quæ ad fidei doctrinam & morum correctionem pertinent, pro ſui ac populi capa-

citate Italica lingua verſam explanent, & plebes ſibi commiſſas, clariſſimis verbis erudire ſtudeant.

Quæ ſi quod abſit præſtare neglexerint, præter diuinam vltionem arbitrio pœnas ſubibunt quo aũt in tanto munere vtiles, & fideles diſpenſatores inueniantur.

Verbum Dei iuxta Eccleſiæ traditionem & SS.PP. interpretationem pure, ſimpliciter, dilucidè, & abſq; vlla ambiguitate prædicare & explicare ſtudeant, inutiles quæſtiones, obſcuras propoſitiones, dubios, & implicitos ſermones, qui audientium mentes facilè occupant euitare curabunt.

Ab hiſtorijs apocryphis, & miraculorũ nõ approbatorũ recitatione penitus abſtineant.

Auditores ſuos frequenter propoſitis pœnis æterni ignis, ac alijs inferorum ſupplicijs, à peccandi licentia, & conſuetudine deterreant, & tamquam fræno quodam reprimant; & ad veram ſuorum peccatorum poenitentiam conuertere ſatagant.

Eos etiam coeleſtis & ſempiternæ vitæ commemoratis pręmijs, facilitate ſermonis, ad Dei, & proximorũ dilectionem accendãt.

Vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari,

ctari, & bona opera quæ exercere oporteat aſſiduè annuntient: vt inferas poenas euadere, & cæleſtem gloriam conſequi ſtudeant.

De Conceptione Beatæ & Glorioſæ ſemper Virginis Mariæ dicturi, nouiſſimam declarationē fel. mem. Gregorij XV. perlegant, qua prohibetur ne quid cōtra puriſſimam & immaculatam eius Conceptionem in cōcionibus, diſputationibus, & colloquijs publicè, vel priuatim dicere audeant.

Paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, illuceſcente die, vel antequam nox ſuperuenerit piè & grauiter exponant, nihilque in ea quod à chriſtiana pietate, & tanti myſterij dignitate alienū ſit, etiam ad lacrymas commouendas dicatur, aut deinceps modo aliquo fiat, concionatoris autem electionem, & deputationem vbique pro ut in Synodo nobis referuamus.

## *De oratione. Tit. III.*

ORandum ſemper fidelibus monetur à Chriſto Domino noſtro, & ab Apoſtolo eius Paulo ſine intermiſſione orandum; quod

quod quidem, ſi fieret ploran. nobis non eſſet, ob tot aduerſa quibus premimur: nec ab humani generis hoſte, leui quaque tentatione tam facile & miſerabiliter proſterneremur: quibus malis quantum in Domino poſſumus occurrere cupientes, rogamus omnes in primis autem patres famil. vt ſalutis ſuæ memores, quotidiè, ſummo ſaltem manè, & veſpere ante decubitum, vna cum familia reuerēter & deuotè, præuia orationis dominicalis, ſalutationis angelicæ ſymboli Apoſtolici, & decalogi recitatione, latino vel italico idiomate per eum qui aptior eſt, alta, diſtincta & intelligibili voce facienda: ſaltem per octauam horæ partem orent: ſecreti meditantes ad quid ſecerit Deus rationalem creaturam, quid pro eius ſalute operatus ſit, quid illi pollicitus quiduè cōminatus, quàm breue ſit vitæ ſpatium, quantis periculis plenum, quàm noxiæ voluptatis, quam fallaces diuitiæ, & vana mundi figuramenta, quot dæmonis inſidiæ, vires irritamenta in eo maxime ſe exercentes vt quid ea die nocteuè commiſerint vel omiſerint in diuinæ maieſtatis offenſam, diligenter exa-
mi-

Digitized by Google

minent; & intimo cordis affectu contriti, pijs precibus veniam impetrare ſatagant, confeſſarium quamprimum adeundo horrentes diuinam vltionem, niſi maturè cõuertãtur ad Dominum, vbi verò nihil pœnitendum admiſiſſe compererint, omnipotenti Deo bonorum omnium largitori gratias agentes, diem, labores, negotia, noctis quietem in eius honorem dirigentes, vità non impiã, non ærumnoſam, non otioſam, ſed piam, vtilem, & quietam tranſigent: quod vt facilius exequantur; monemus parochos ſummo mane, & veſpere poſt datum ſignum ſalutationis Angelicæ, parochianos ſuos certis campanæ ictibus ad id inuitare, & veſpere quidem poſt hæc ſignum addere, pro mortuorum ſuffragio. Cupimus etiam quaque hora ſalutationẽ angelicam, ab omnibus in honorem Beatæ Virginis recitari.

In eo item ſigno quod in eleuatione ſanctiſſimi corporis & ſanguinis Dñi noſtri Ieſu Chriſti ab Eccleſia maiori, aut parochiali datur, ex ueteri more fideles oẽs qui extra Eccleſias etiam ſi ruri aut foris ſunt, ad genua flectenda & ad orandum aut alia religio-

gio-

gionis & reuerentiâ ſigna facienda maxime hortamur; nec cibum aut potum ſumere, niſi cum benedictione, & gratiarũ actione, nec opus aggredi, quod venerabile crucis ſignum non præmunierit.

## *De feſtorum dierum obſeruatione. Tit. vij.*

QVæ in hoc genere dicta ſunt & ſalubriter ſtatuta in ſynodo ſecũda Agathenſi, typis mandata à fol. 127. ſub rubr. de Sanctificatione dierum feſtorum, & 156. ſub tit. de obſeru: dierum feſt. & ieiuniorum retinentur, & quatenus opus eſſet: de nouo edicuntur, ordinantur, & mãdantur ſub pœnis ibid. impoſitis, & alijs in bulla Pij Papæ V. ſublatis tamen pœnis excõmunicationis, & maledictionis æternæ in dicta ſynodo appoſitis, etenim in foro conſcientiæ tranſgreſſionem iuxta vim præcepti, & canonicas ſanctiones, confeſſarijs reliquimus ponderandã: monentes omnes ſeriò & vehementer, diebus dominicis & feſtis maioribus in propria parochia miſſam audire verbo Dei; & feſtorũ; ac vigiliarum annunciationi intereſſe, me-

mo-

mores ad id aſtringi iuxta Sacr. Trid. Syn. decr. ſeſſ. 24 de refor. c. 4. verſ. moneat Epiſcopus populum diligenter teneri, vnumquemq; parochiæ ſuæ intereſſe vbi commode id fieri poteſt ad audien. verbũ Dei.

## *De Sacramentis. Tit. viij.*

SEptem Sacramentis virtute & ſignificatione præſtantiſſimis, Dñs noſter Ieſus Chriſtus ſuam ditauit Eccleſiam; illiq; per ead. ſanctificationem & gratiam impertiuit. Qualiter cum omni ea ſint veneratione & pietate tractanda, & percipienda: præterea, quæ de eorum adminiſtratione à SS. PP. & concilijs, atque à Sac. Trid. Synodo tradita ſunt; parochos & presbyteros in Dño monemus, in primis, Sancte illa tractare quamquam enim Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſunt, neq; à prauis miniſtris eorum effectus impediri: indignè tamen ea miniſtrantes, in æternæ mortis reatum certum eſt incurrere: Sacerdos itaq; ſi, quod abſit, peccati mortalis ſibi fuerit conſcius ad eorum adminiſtrationem accedere non audeat, niſi præ-

uia ſaltem vera contritione, vbi copiam confeſſarij, loci vel temporis ratio habere non permiſerit: manus ſuas puras mundaſq; ſeruet in ſacramentis adminiſtrādis, pro quibus nihil omnino aliquid quauis de cauſa vel occaſione directè vel indirectè exigat aut petat: ſed ea gratis miniſtret: eumque ipſa ſancta ſacramenta, per quæ ſanctificamur aliud quidem ingerant ſenſibus, aliud autē efficiant: docendus erit populus oportunis temporibus, & præſertim cum ſolenior eorumd. occurrerit miniſtratio & pridie etiam ac pluribus diebus antea, quid, in cuiuſlibet ipſorū viſibili exhibitione, inuiſibiliter agatur, iuxta eum ſenſum quem cathechiſmus præcipue docet, Rituale Romanum frequenter præ manibus habeat parochus; & vbi opus fuerit ſemper penes ſe retineat, cū illa miniſtrauerit, eiuſdemque monita inuiolate obſeruet.

## *De Proceſſionibus. Tit. ix.*

QVæ de proceſſionibus piè & prudenter ſancita ſunt in Synodo Agathen.

conſt.

conſt. 4. & 7. tit. proceſſiones fol. 81. & 86. &c. confirmamus declarantes, pro non intereſſentibus habendos, qui abſq; ſuperpelliceo fortè interuenerint: qui ad proceſſiones autem generales conſuetas in feſto Sancti Marci, in tribus diebus rogationum, & in feſto Sanctiſſimi Corporis Domini ad quas etiam regulares tenentur, & proinde eos ſub pœna x. ducatorum illis ſemper interuenire monemus, & mandamus: ne prætextu horæ, vel intimationis valeant ſe excuſare quo minus acceſſerint vel importunè: q; in pleriſque terris deeſt horologiũ, nec vbi adeſt attemperatũ perpetuò reperitur mãdamus in Eccleſia vnde cõſueuit exire proceſſio per horã circiter antea, viginti ſaltem ictibus ad maiorem campanam pulſare, & hoc loco monitionis, omnibus tam clericis, quam regularibus deſeruire debere; monẽtes omnes piè deuotè grauiter, & riuerenter incedere, ſicut decet cæleſtium caſtrorum ordinationem: Vbi verò de mandato Sedis Apoſtolicæ, vel noſtro, ex publica cauſa generalis eſſet habenda proceſſio, ad quam etiam regulares interuenire deberent, eos præ-

moneri debere, pridie ante decernimus domi dimiſſa copia.

## De Baptiſmo. Tit. x.

INter Sacramenta principem locum obtinet baptiſmus, tamquam cæterorũ ianua & iuſtificationis noſtræ exterius & viſibile principium, à B. Baſilio, meritò fidei ſigillum dictum: maxima igitur pietate ac reuerentia exhibendus & ſuſcipiendus eſt, & in conſpectu Eccleſiæ, iuxta SS. PP. ordinationem. Quare ne fortè aliquorũ ſuperbia, templum Dei deſpectum videatur ſub graui arb. & in ſubſidium excommunicationis pœna mandamus, ne alibi quã in Eccleſia, neue ab alio quam ſacerdote extra caſum neceſſitatis conferatur & tũc ſi baptizatus ſuperuixerit, per ſacerdotem in Eccleſia ritus & cærem. ſuppleantur.

Fontes baptiſmales vbi fieri poteſt ſint ex marmore, vel alio lapide qui aquam continere, & ſeruare poſſit, cum ciborio pyramidato, vel ſaltem extrinſecus habeatur vas ex ære ſtamneato, ad aquam tutius, ac nitidius conſeruandam.

Sacrum

Sacrum etiam chriſma, & ſanctum oleum ꝙ cathecumenorum dicitur, quorũ vſus eſt in baptiſmo, in ſuis vaſculis argenteis, aut ſaltem ſtamneis bene obturatis ſeruentur, in eod. fonte cum libro baptizatorum, & vaſcula ſint inter ſe diſtincta, cum inſcriptione literis maiuſculis inciſa. librũ verò antedictum cum alijs confirmatorum, matrimoniorum .ſ. ſtatus animarum, & defunctorum teneãtur ſub pęna arb. omnes parochi, intra menſem à publicatione huius ſynodi, coram nobis exhibuiſſe, iuxta formam ritualis Romani compoſitos.

Denique parochi ſedulò hortentur, & frequenter commoneant pregnantes mulieres, vt cum nonum menſem attigerint, vel tẽpus partus inſtiterit, ipſis vel alijs ſacerdotibus ab Epiſcopo approbatis, peccata ſua confiteantur, & Sanctiſſimam Euchariſtiã ſumant, prolemque ſuſceptam abſq; pompa cum ſimplicitate & pietate, ad tantum ſacramentum ſuſcipiendũ mittere, ac non ethnicorum, ſed ſanctorum nomina filijs imponere, quorum exẽplis & patrocinio, ad piè viuendum prouocentur, & ne contingat ſacrum baptiſma iterari, parochi in-

terro-

terrogabũt ſemper an infans fuerit bapti-
zatus, quare, qualiter, & à qua perſona:
ſciſcitantes ab ea, de materia, forma ac in-
tentione: nõ permittentes obſtritricio mu-
nere fungi mulieres, quæ formam & mate-
riam baptiſmi ſufficienter non intelligant,
ac memoriæ teneant.

*De confirmatione. Tit. xi.*

PArochi omnes dominica, vel feſto die
præcedente Paſcha Pentecoſte, quo ſa-
cramentum confirmationis conſueuit mi-
niſtrari, per ſe ipſos, vel alios illius digni-
tatem vim, & effectus, ac ſpiritualem præ-
ſertim cognationem fidelibus explicare
ſtudeant, iuxta pontificalis rubricas, ac
quàm piè, & reuerenter ſit ſuſcipiendum,
commonentes omnes confeſſionem pec-
catorum præmittere, mundis frontibus,
capillis ſuper frontem pendentibus tonſis,
nullo mendaci fuco, ſed habitu, & vultu
modeſto, & quam maxima humilitate ad
hoc ſacramentum ſuſcipiendum accede-
re: adultos etiam ieiunare, paratoſque oẽs
aduenire, cum bombicio, ac linteolo lineo,
& at-

Digitized by Google

& atteſtatione parochi, de eorũdẽ, ac patrinorum habilitate; cæteroſq; omnes adſtantes, remotis riſu, vaniloquijs, clamoribus, & omni actu immodeſto, piè, deuotè, & cum timore intereſſe: gementes; ne forte irreuerenter illud ſuſceperint, de quo ſe in confeſſione accuſare debebunt: confirmatorum autem nomina, ſuo loco ead. die exſcribent, bombicio, linteolo ſuper ſacrario combuſtis, niſi linteolus vſui Eccleſiæ poſſet deſeruire, quo caſu præuia ibidem abſolutione poterit ad id ſeruari.

## *De Sacramento Euchariſtiæ. Tit. xij.*

SAnctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum in tabernaculo deaurato, nitido decenterque intus, & extra ornato, intra pixidem argenteam, in parte ſaltem interiori deauratam, ſeruetur, & quolibet octauo, vel ſaltem decimo die renouetur, à parocho, prouiſo; vt tot formulę conſecrentur, quæ populo ſemper poſſint ſufficere, ac de lampade perpetuo ardente in loco cõſpicuo, & decenti, & de tuta cuſtodia cũ firma ſera, & claui, quam diligenter ſeruabit;

bit; quod & de clauibus fontis baptiſmalis, & ſacrorum oleorum dictum intelligimus ſub pœnis arbitrio.

Ad Christi fidelium deuotionem, & pietatē erga tātū Sacramentum in dies promouēdam, hortamur omnes ſummopere in Domino, vt ſicubi forte adhuc erecta non eſt Societas Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quā primum erigatur per nos probanda, & vnuſquiſq; in ea deſcribatur, & tertia quaque hebdomada proceſſio fiat circa Eccleſiam, cum omni poſſibili reuerentia, & ſplendore: volumuſque eoſdem confrates cæteroſque omnes ſæpe admoneri, vt non ſolum Paſchæ tempore iuxta generale Eccleſiæ præceptum, ſed ſemel in menſe, & dicta præſertim hebdomada, vel præcipuis ſaltem anni feſtiuitatibus, Natiuitatis, & Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, & omnium Sanctorum præmiſſa Sacramentali confeſſione ad eiuſdem Sanctiſſimi Sacramenti perceptionem, piè & deuotè accedant, vberiores inde fructus, & gratias cōſecuturi, quo ſæpius illud frequentabunt: quod vt alacriori animo exequantur, noue-

Digitized by Google

uerint participes ſe effectos indulgentiarum omnium, conceſſarum à fel. record. Paulo Quinto, ſodalitio Archiconfraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia S. Mariæ ſupra Mineruam, cui quælibet ſocietas per Epiſcopum approbata, ipſo facto cenſetur aggregata. Volumus propterea per parochos, ſæpe. & præſertim poſt proceſſionem antedictam, & poſt delationem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ad infirmos infirmos indulgentias annunciari, quarum ſummarium italico ſermone inſerimus.

# SOMMARIO

*Delle Indulgenze concesse da Papa Polo V. nel 1606. all'Archiconfraternità del Santmo Sacro della Madonna ſopra la Minerua.*

PLenaria nell'ingreſſo con la confeſſione, e communione.

Plenaria alli Confrati che confeſſati, e cõmunicati accompagnaranno la proceſſione del Santiſſimo Sacramento nel giorno dell'ottaua, pregando per la concordia de'

Prencipi Christiani, estirpatione dell'heresie, e per l'essaltatione di S. Chiesa.

Et anni sette, e tante quarantene à chi si communicherà nella festa del Santiss. Sacramento, e pregherà nella sodetta forma.

E cento giorni à chi visiterà nel Venerdì la Madonna sopra la Minerua, e pregherà come sopra.

Anni sette, e tante quarãtene alli fratelli, che confessati, e communicati interuerranno alla processione del Santissimo Sacramento nel giouedì santo, & ogni terza domenica del mese pregando nell'istessa forma.

E giorni dugento à quelli che non sono della compagnia.

Anni cinque, e tante quarantene à quelli che accõpagnerãno il Santissimo Sacramento all'infermi, ò douunque altroue si portasse.

E giorni cento à quelli che impediti diranno il Pater, e l'Aue Maria, e pregaranno per l'infermi.

E cento giorni alli fratelli che visiteranno il Santissimo Sacramento nel giouedì santo e pregheranno nella forma sopradetta.

Plenaria ancora nell'articolo della morte, preuia la confessione, e sacra cõmunione in-

uocandoſi con la bocca, ò non potendoſi col cuore il ſantiſſimo nome di Gieſu.

Cento giorni à chi aſſiſterà à gl' officij diuini, proceſſioni di detta Archiconfraternità.

Mandantes eiſd. parochis cauere, ne publicos peccatores ſcandaloſos, ad hoc Sanctiſſimum Sacramentū admittant, niſi poſt notam uitæ emendationem; neque eos, qui ſemel tantum in anno confeſſi ſunt, niſi poſt aliquos dies à confeſſione, quos etiā monebunt, interim à conſuetudine coniugali abſtinere.

Cum autem ad infirmos tantum ſacramentū deferri contigerit, præmiſſo cāpanæ ſigno, ad conuocandos clericos, & cōfrates, alioſq; fideles, ſacerdos miniſtraturus, cotta, ſtola, & pluuiali, vel ſaltē cotta, & ſtola indutus, duas particulas in eleganti pyxide reponat, & decenter collocet, ac collo ſuo pēdens velamen deſuper expendat, & tunc cū honeſto fidelium comitatu, qui cereos & luminaria diferant, ab Eccleſia diſcedens, tintinabulo precedente, ſub umbella ſeu baldachino vbi fieri poteſt, grauiter incedat, ac ſumma cum veneratione & pſalmis ipſum ſacramentum ſanctiſſ. deferat ad infirmos:

cumque ad eorum domos peruenerit, & fortunatis iis, quia in huiuſmodi ſacramenti adminiſtratione in rituali Romano continentur, ægrotis ſacram Eucharistiam reuerenter exhibeat; eoſdemque ſi per tempus licebit, breuiſſimo & religioſiſſimo alloquio ad tantæ miſericordiæ munus recogitandum erigat, & omni animi deuotione reuerentia, & cordis affectu viaticum ſacri corporis Chriſti ſuſcipiendum: quo munere expleto, deinde eod. modo quo diſceſſit ad Eccleſiam reuertatur.

Domeſtici autem eius qui communicaturus eſt, domum purgent, ſcalas ſi opus eſt inſtaurent, mensam cũ mappula munda, candelis & aqua ... prope lectulum infirmi præparent, in qua pyxis dum viaticum infirmo adminiſtratur honeſtè reponi poſſit; ipſi verò vbi tintinabuli ſignificatione ſacramentum domui appropinquare intellexerint, exeant obuiam, & qua decet reuerentia adorent, & committantur ſe indignos in quorum tectum ſubeat tanta maieſtas, exẽplo Centurionis agnoſcentes, & hæc per parochos opportunè omnibus annuncientur, & ſemper pridie ante

dela-

celebrationem Sanctiſſimi Sacramenti con-
ſanguineis [illegible]

*De celebratione Miſſarum. Tit. xiij.*

Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium, non ſolum exterius ritè & rectè, ſed etiam piè, & deuotè interius celebrari debet; quare vt ſingulari pietate, & deuotione erga illud populus quoque afficiatur, ſtudeant Sacerdotes omnes, mentis, & corporis puritate pollere, & ad tanti ſacrificij miniſterium, quam maxima reuerentia accedere, & miſſa poſt lectas digne, [illegible] populique ſalute preces effundant.

Omnes etiam altaris miniſtros admonitos eſſe volumus, vt ceremonias iuxta miſſale Romanum ſanctæ recordat. Clem. Papæ viij. iuſſu editum, diligenter addiſcant, & illas in miſſarum celebratione accurate ſeruent; quod ſi quis in hoc negligens fuerit, ad altaris miniſterium [illegible] admittatur, aut ab eo, quoad didicerit, arceatur.

Peregrini ſacerdotes haud ignoti ad rem diuinam faciendam non admittantur abſque proprij ordinarij litteris dimiſſorijs, quas

ad

ad excitandam fidem, hæc in re communiter
ſolitas, à Vicarijs noſtris examinari, & pro-
bari mandamus: quæ verò ita recentes nõ
ſunt, vt veriſimiliter illis credi poſſit, re-
ijciendas eſſe volumus, niſi à locorum or-
dinarijs vbi proximè commorati fuerint,
de eorum vita, & moribus fidele teſtimo-
nium afferant.

Prouideant parochi & beneficiati, vt in eorũ Eccleſijs altaria quæcunque, diuino cultui dicata, ornamenta habeant, non immunda, nec lacera, quod non ſine populi ſcãdalo ſæpe conſpicitur: ſed illa pura ſint, munda & decenter ornata, cum altari portatili conſecrato iuſtæ magnitudinis, affixo, per dimidium digiti ſuper altare, & quinque digitos ante frontem eiuſdem, & cũ Cruce ſaltem lignea benedicta, & duobus candelabris: quod ſi admoniti id neglexerint, curiæ noſtræ id denuntietur, & interim ſuper illud non celebretur, ſed ad aliud altare, aut aliud intra eand. Eccleſiam decens transferatur ſeruitium per menſem, quo elapſo ſi adhuc erunt negligentes, procedatur contra eos ad priuationem.

Altariā portatilia ex latitudine, & longitu-
dine sint, vt hostia, & calix dum super eis
celebratur commodè collocari, & retine-
ri poſſint, q̄ non tolerētur palmo minora,
& conſecranda ſint longe maiora.

Fideles omnes ſedulo cōmoneantur, vt cum
miſſæ ſacrificio interſint, ad quod eos qui
rationabili impedimento non detinentur,
quotidie hortamur, tanti myſterij grauita-
tem conſiderent, ſileant ſemper, maximè
autem tempore conſecrationis, nec ado-
rent priuſquam celebrans genuflexerit cū
hoſtia conſecrata, vel calice eleuato poſt
conſecrationis verba prolata, reuerenter
aſſiſtant, & piè, ac deuoto corde, & ſpiri-
tu orent, vel etiam preces effundant, ſe-
crete tamen, ne ſacerdotem, vel alios per-
turbent: & id tantū dum ſacerdos alta vo-
ce non legit: ad altare autem nō ita pro-
pè accedant, vt celebranti impedimentū,
vel turbationem afferant, quando venerā-
da miſſarū myſteria, & alia diuina officia
celebrantur, oculis, aut mente vagentur,
neue collocutiones habeant, nec deam-
bulationes faciant, neque in foribus Ec-
cleſiæ, aut extra ſubſiſtant, vel altaribus
inhe-

inhæreant, aut non impetrata ſpeciali ſacerdotis A
benedictione ab Eccleſia diſcedant; quib
ſi obſeruare neglexerint, præuia monitio-
ne curiæ noſtræ id denuntient.

Ne debito Eccleſiæ ſeruitio, & defunctorum animæ fraudentur ſuffragijs. Studeant ſacerdotes, qui ex impoſito muneri, vel onere, miſſas celebrare debent, vt diuino celebrent, arctiſſimam in tremendo iudicio rationem ſubituri; ſi per eorum negligentiam, vel maliciam (quod abſit) in hoc reperti fuerint culpabiles: per hæc enim ſtridentes in flammis fidelium defunctorũ animæ purgantes, obmurmurant populi, queruntur propinqui, ſuis obſequijs deſtituuntur Eccleſiæ, deterrentur viuentes à piorum legatorum ordinationibus, & beneficiatis ipſis perpetuũ æternitatis via aperitur, punctatores propterea fideliter ſemper, & diligenter, ſed in hoc maxime ſe gerant, nemini parcentes vt iuxta decretum bo. mem. Iul. prædeceſs. noſtri in ſua Synodo, ac etiam noſtrũ in viſitationibus, tanto damno occurri poſſit, pro diuius exitatione, & reparatione vltra reſtitutionẽ miſſarum, vel concordiam cum R. Fabricæ

mi-

miniſtris, pœnas iis exigi mandamus: vnius æquiualenti pro quibuſque miſſæ omiſſione, quam ipſo iure incurriſſe volumus, qui defecerit applican. vſibus vel locis pijs arb. noſtro: quod decretum quatenus opus ſit confirmamus, & innouamus; & ne in futurum contingat capitulum, parochos, vel confraternitates ſuperfluo miſſarum onere grauari; mandamus eiſd. capitulo quidem canonicis, & parochis ſub pœna ducatorum .25. confratribus, aut ſub pœna excommunicationis, vtriſque vero ſub pœna nullitatis obligationis ipſo iure, ne quiſquam niſi de noſtra licentia in ſcriptis, onus perpetuarum miſſarum, ſiue ex legato, ſiue ex contractu ſuſcipiant, annullantes ex nunc prout ex tunc quamcumque obligationem, vel acceptionem aliter attentandam: punctatoribus verò omnibus ſub pœna .x. ducatorum applican. locis vel vſibus pijs, mandamus, vt prima menſis hebdom. lapſi proximi menſis, libellum punctorum nobis, vel R. Vic. noſtro generali in ciuitate, & foraneis per diœceſim debeant infallibiliter exhibere, vt opportunè, & legitimè per ipſos iuxta facti exi-

gentiã, miſſarum defectibus prouidetur.
Inſuper ne Chriſti fideles, à propriarum parochialium Eccleſiarum frequentatione, & à diuinis audien. à proprio parocho, à quo Chriſtianæ fidei rudimenta ſalutaria monita, explicationes ſacrorum myſteriorum, miſſæ, vigiliarum & feſtorum dierũ, & circa contrahendas nuptias denuntiationes, conſtitutionum apoſtolicarum, & ſynodalium, indulgentiarumq; publicationes, & alia grauiſſima audire debent in poſterum accipiantur: ſtatuimus ſub pœna arbit. ut nullus presbyter beneficiatus, vel capellanus cuiuſcumque capellæ dominicis alijſque diebus de præcepto, in oratorijs ſodalitiorum ſeu confraternitatum ſæcularium, alijſue Eccleſijs, cappellis, aut oratorijs ſæcularibus etiam dominorum locorum, quæ parochialis Eccleſiæ finibus continentur, miſſas, & alia officia diuina, hora nimis præpropera celebrare, vel ad ea audienda populum conuocare audeat, niſi abſoluta miſſa vel ſaltem concione, quæ in parochiali Eccleſia præmiſſis diebus celebrari debet, idemque à ruralibus presbyteris & capellanis reliquarum Eccleſiarum

non

non parochialium, & capellarum obſer-
uandum eſſe decernimus: ita vt parochi,
ſiue Archipresbyteri, & diuinis officijs
prædictis diebus ab ipſis nullatenus præ-
ueniantur, quibus mandamus, vt nullius
cuiuſcumque gratia celerius, aut tardiùs
celebrent, ſed ea tantum hora quæ maxi-
me toti populo commoda erit, neque in
ea concionẽ, aut aliquid quiſquam quod
diei officium, aut feſti celebritas poſtu-
lat ommittant; neq; inchoatam ad cuiuſ-
cumque aduentum repetant. Quod ſi ali-
quis ante præmonitus, ſacerdotem ad ce-
lebrandum quoquo modo, ſecus quàm di-
ctum eſt adegerit, ſi beneficium obtinue-
rit, & ipſo priuatus exiſtat, ſi non habue-
rit ad id obtinendum inhabilis reddat, ſi
vero laicus fuerit excõmunicetur idemq;
inhabilis ad feudum Eccleſiaſticum; em-
phiteuſimque conſequendum exiſtat iux-
ta prouinc. Beneuen. ſyn. decretum ſub bo.
mem. Card. Sabellio.

Curent parochi, pro commiſſi muneris ſatiſ-
factione, patresfam. frequenter commo-
nere vt à filijs & famulis qui in paſcendis
animalibus occupantur, ſaltem dominicis,

 & fe-

& feſtis diebus miſſam audire procurent, &, vt in neceſſarijs fidei ſufficienter inſtruantur, & eorum filiæ non impediantur, quo minus miſſis, doctrinæ Chriſtianæ, & verbo Dei interſint, viduas pariter cum reliquis domus mulieribus, ob virorum, ſeu aliorum coniunctorum obitum, non ceſſare ab auditione miſſe diebus antedictis, quin imò feruentiori animi deuotione eas frequentare.

## *De Sacramento Pœnitentiæ. Tit. xiv.*

INter ea quæ animum noſtrum maxime commouent id vnum certè eſt ex frequentatione ſacramenti pœnitentiæ, perexiguum modernis tēporibus colligi fructū, quod quidem ex eo præſertim prouenire coniicimus, quia pœnitentes, pondus & deformitatem peccatorū non intelligunt, eorumdemque proximam occaſionē non deuitant, nec confeſſarium eundem adeunt, eumq; ſæpe incognitum, & importuno tēpore, neque ei conſcientiam plene, & perfecte aperiunt: quibus occurrere quantū in Domino poſſumus ſummopere cupientes,

tes, parochos, & confeſſarios omnes ſeriò moneamus, vt ſacrum hoc miniſtraturi ſe ipſos colligant, & omnipotenti Deo ferventiſſimè commendent, ac ſolerti, & ſtricta præmiſſa præfatione, de pertinentibus ad confeſſionem, ac ſtatum, & qualitatem perſonæ ignota, in hoc ſacramento, iuxta illius conditionem, ante peccatorum accuſationem pœnitentes quàm ſæpiſſimè vbi opus erit, eos ante abſolutionis beneficium ſeriò moneant, de vltimo hominis fine, de ſollicitudine adhibenda pro ſalute animæ, de breuitate, atque incertitudine vitæ, de miſericordia Dei nõ abutenda, de enormitate deteſtabili relapſus, ob ingratitudinem, quæ ex Bernardo ſiccat fontem pietatis, & vbi opus erit differant abſolutionem, pœnitentes in ſpiritualibus exercitijs detinendo: ſubinde ob oculos eiſdem proponant, peccatorum numerum, enormitatem, pœnam capitalem fortè debitam ex pluribus eorum in foro exteriori, rigorem quoque pœnarum canonicarum, iuxta canones pœnitentiales, quamquam enim hodie ex indulgentia Eccleſiæ, & temporum conſuetu-

dine,

dine, poenitentiæ ſint arbitrariæ: nihilominus debitæ peccatoribus poenitentiæ, ſunt ad confitentium notitiam deducendæ, 7. annorũ pro quolibet peccato mortali, & pro quibuſdam grauioribus vltra: Quis enim non deterrebitur, propoſito ſibi ex eiuſdem ei confeſſione, deberi ei poenitentiam mille fortè annorum, & vltra? quis taliter conuictus, non humiliter grauiſſimam etiam poenitentiam, ſi quidem ei iniungeretur, leuem, & facilem, & vltro appetendam non dixerit? quis intelligens quaſi à facie colubri, cuius intuitu, & peſtilenti habitu inficitur humana mortalitas, fugiendum eſſe peccatum: non paueſcet ab omni conſiderabili, ne dum propinqua occaſione peccati? quod ſi confitentes, iudicis ſpiritualis, ac medici charitatem, peritiam, prudentiam, religionem, ſalutaria monita experti fuerint, cautiores, & eorũdẽ amantiores redditi, non ita facilè eos deſerent, quos ſemel ſibi perutiles fuerit experti. In penitentijs verò iniungendis, quæ non perfunctoriè, ſed iuxta Gregorij monitum, ex magna conſideratione ſunt imponendæ, illud

ma-

maximè aduertent: vt ſimul ſatisfactiones ſint pro peccatis admiſſis, & cautiones pro eorumd. in futurũ, euitatione: pœnitẽtes etiam adhortentur, quotidie ex deuotione in peccatorũ deteſtationem, vt piũ aliquid, & facile opus, lapſibus oppoſitũ exerceant. Pro abſolutione autem à peccatis nihil omnino exigi poſſe, abſq; ſimonia labe notiſſimum eſt; ſed nec à ſpõte dantibus accipi poſſe in confeſſione, vel immediate poſtea ſtatuimus, ſub poena peccati mortalis, & obligatione ad reſtitutionem: ne pecuniarũ magis aucupiũ, quàm ſalutis animarum ſtudium ſacerdoti ineſſe videatur; non prohibentes, quin pro ſua deuotione, poenitentes ſpontaneè mere, abſque vllo tractatu cum confeſſario in capſa eleemoſinarum, vel alibi eleemoſinã, ſibi beneuiſam reponere poſſint. Vbi verò perſonæ ratio, vel criminis expoſceret, poenitentias pecuniarias, eas etiam ſub ead. poena interdicimus, ne ſibi vllo pacto confeſſarij attribuant, nec ad Eccleſiæ, vel monaſterij proprij vtilitatem conuertant. Si verò poenitentiæ gratia miſſas aliquot celebrandas confitentibus impo-

ſue-

rint, ipſi quidem hoc onus ne ſuſcipiant, ſed ad aliam Eccleſiam aut ſacerdotē remittant. Præterea ſi reſtitutio facienda eſt, confeſſarij huiuſmodi negotium pro ſe ipſos non exequantur, quod ſi alia commodior ratio iniri nequeat, abſque periculo ne res pateſiat, vel ſalus periclitetur, tum ſolutionis chirographum, ab eo cui quid ſoluitur acceptum, pœnitenti ipſi ſtatim tradant.

Sacerdotes verò ſuperpelliceo ſiue cotta induti, & etiam ſi commodè fieri poteſt ſtola ſuperpoſita in Eccleſijs ad confeſſiones audiendas, compoſitè, & qua decet grauitate ſedeant, cum bireto, ſuper confeſſionale, nec in priuatis domibus, caſu neceſſitatis naturalis, vel moralis excepto, pœnitentium præterquam ſacerdotum, & conſtitutorum in ſacris, confeſſiones audire audeant, ſed mulieres quidem, & pueros in locis patentibus, & conſpicuis in Eccleſijs, viros autem in Sacriſtijs etiam alijsue decentibus, & religioſis locis.

Ne autē Chriſti fideles ignorantiæ prætextu excuſari poſſint à confeſſione extra pericula grauia ſemel ſaltem in anno, & pro-

prio ſacerdoti alijſue ad audiendas con-
feſſiones ab Epiſcopo approbatis faciēdai
mandamus parochis omnibus, prima do-
minica quadrageſimæ, conſtitutionē edi-
tam in Conc. Lateranen. ab Innoc. Papa
iij. quæ incipit omnis vtriuſque ſexus, legi
ex ambōe, vel inter miſſarum ſolēnia, alta
& intelligibili voce.

Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad
annos diſcretionis peruenerit omnia ſua
ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno fideli-
ter confiteatur proprio ſacerdoti: & in-
iunctam ſibi pœnitentiam, proprijs viri-
bus ſtudeat adimplere; ſuſcipiens reue-
renter ad minus in Paſcha Euchariſtię Sa-
cramentum, niſi forte de proprij ſacerdo-
tis conſilio ob aliquam rationabilem cau-
ſam ab huiuſmodi perceptione duxerit
abſtinendū: alioquin, & viuens ab ingreſſu
Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana
careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutū
frequenter in Eccleſijs publicetur, ne quiſ-
quam ignorantiæ cæcitate velamen ex-
cuſationis aſſumat, ſi quis autem alieno
ſacerdoti voluerit iuſta de cauſa, ſua con-
fiteri peccata, licentiam prius poſtulet, &

obtineat à proprio ſacerdote, cũ aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, vel ligare. Et monere eam ſeruare ſub pœnis in ea contentis, & oportunè ac celeriter, tunc vel ſaltem ante dimidium quadrageſimæ instructos, de neceſſarijs fidei principijs, & bene contritos, accedere ad confeſſionem, nec eam reponere ad hebdomadam maiorem: tunc certè non audiendos; parentes autem filios quinquennes, vſu rationis aliquo modo pollentes, ad eos mittere, vt dignoſcere poſſint, an apti ſint confeſſioni, & inſtrui, vt aptentur tempore ſuo: ſimiliter & pubertati proxime exhiberi coram eis in Eccleſia, vt probentur an apti ſint, quibus ſacrũ Euchariſtiæ Sacramentum conferatur, & vt ad illud dignè pro viribus ſuſcipiendum inſtruantur.

Mandamus omnibus, & ſingulis confeſſarijs ſub pœna arb. vt penes ſe aut apud confeſſionale, vel ſaltem in ſacriſtia, vel domo, habeant bullam cœnæ Domini, ſaltem in aliquo libro deſcriptam: & caſus noſtros Epiſcopales, atque cenſuras: ſeriò monentes ne ab illis audeant abſq; facultate ſibi legitimè tradita, quemquam in

pro-

propriā perniciē, & inutiliter abſoluere. Et ne contingat ex defectu pōtis irritas fieri abſolutiones, declaramus ex tacito communi conſenſu; parochos oēs in ciuitate, terris, & caſtris quoſcumq; eiuſd. ciuitatis, terræ, & caſtri imò, & diœceſis extra tempus paſchale audire poſſe, in proprijs Eccleſijs, vel alijs eiuſd. loci non contradicentibus earum rectoribus, extra aūt propriū locū audire non poſſe, niſi de licentia expreſſa proprij ſacerdotis, illius loci, niſi aliquibus per nos fuerit reſtricta poteſtas pro ſuis tantum parochianis, vel aliter; à dimidio tamen quadrageſimæ, vſque ad totam octauam paſchatis, in id interuenire debere proprij ſacerdotis licentiam, ſaltem ex atteſtatione pœnitentis, vbi infra annum ſemel ei confeſſi non fuerint; quo autem ad alterius loci incolas intra diœceſim, licentiā interuenire debere ab initio quadrageſimæ, quæ & de alijs confeſſarijs non curatis repetita cenſeantur, niſi forma delegationis, vel aliud ſpeciale priuilegium, eos iuuerit. Vt autem pœnitens quiſquam extra dioeceſim confiteatur, vel ſacerdos non dioeceſanus, qui per nos nō

 fue-

fuerit approbatus, confeſſiones audiat in hac diœceſi, neminem id indulgere poſſe definimus, niſi ex rationabili cauſa per nos vel Vicarium noſtrum generalem fuerit permiſſum: quod, cum copia caſuum, & cenſurarum noſtrarum erit faciendum: ſi quis autem cõfeſſarius aduerſus prædicta fecerit, puniatur arb. pœnitentes verò habeantur apud curiam, pro non confeſſis, nec communicatis.

Declarantes etiam quod facultas quæcumq; per nos conceſſa, vel concedenda cuicumque ſuper quibuſuis caſibus & cenſuris intelligenda eſt in foro interiori tantum, & in integra confeſſione pœnitentis & non aliter: niſi ex tenore reſcripti noſtri, aliter clare colligi poſſit.

Denique intra ſecundam hebdomadam poſt paſcha, teneantur parochi omnes iuxta edictum noſtrum, curiam noſtram certioraſſe de ijs omnibus, qui rationis vſu pollent ac præceptis Eccleſiæ de ſacra Euchariſtia ſumenda & confeſſione facienda ſatisfecerint, & fidei rudimenta ſufficienter teneant, vt contra inobedientes, legitime & opportunè valeat prouideri. ſi qui antẽ



Digitized by Google

reperti fuerint aſſerentes, hæc extra dioeceſim impleuiſſe: ſi probatæ fuerint vitæ, & bonæ opinionis & famæ, & per integrũ menſem abſuerint, & tempore paſchali redierint ſtetur eorum dicto iuramento firmato: ſi minus, quam per menſem, ſed circa paſchalia tempora intra eand. redierint, non ſtetur eorum aſſertioni, etiam iuratæ; ſed cogantur iterum hæc implere; niſi vbi redirent à viſitatione liminum Sanctorum Apoſtolorum, & ſufficienter docuerint ibid. ſatisfeciſſe. Innouantes poenam librarum centum ceræ elaboratæ; contrà eos, qui ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradent mortuos, qui non paruerint præceptis Eccleſiæ, de confeſſione ſemel in anno, & communione tempore paſchatis, niſi ante mortem fuerint confeſſi, aut euidens ſignum dederint contritionis, per fide dignos probandum.

## *De Ieiunijs. Tit. xv.*

CVm inter cætera pœnitentiæ opera corporale ieiunium, & abſtinentia plurimum valeant, parochi, & concionato-

res ſedulò commendent ieiunia in primis autem à peccatis abſtinentiam, atque alia opera, quæ ad carnem mortificandã conducunt: propterea parochis omnibus mãdamus ſub pœna arb. vt inter miſſarum ſolemnia edictum ſequens de obſeruatione ſacri quadrageſimalis ieiunij, vulgari idiomate publicent, in eorum parochijs in dominica quinquageſimæ.

Quantunque inclini di continuo benignamente la diuina miſericordia gl' orecchi pij alle noſtre preghiere; e gl'occhi della ſua pietà mirino ſempre le neceſſità noſtre; ſono nondimeno l'anime fedeli in queſto ſacro tempo quadrageſimale, inuitate à ricorrer con maggior fiducia al Signore Iddio, per la commemoratione religioſa, che ſi fà vniuerſalmente nella chieſa Santa, del digiuno ſacro, perſecutioni, Croci, paſſione, e morte del ſuo ſanto figliuolo Chriſto Signore, e Redentor noſtro. Per tanto richiedendo queſto tempo accettabile maggior ſollecitudine ne' paſtori, & oſſeruanza più ſtretta ne popoli chriſtiani: acciò profitteuolmente ſia celebrato, Ricordiamo à tutti ſecondo il

debito

Digitized by Google

debito noſtro paſtorale, d'accompagnar il digiuno corporale,con la purificatione dell'anima,orationi,e limoſine, e per l'editto preſente

Ordiniamo, e commandiamo le coſe infraſcritte da oſſeruarſi inuiolabilmente in queſta Città, e Dioceſe

Primieramente, che neſſuno di qualſiuoglia ſtato, grado, & ordine ſi ſia,nella quareſima mangi carne di niuna ſorte, ne oua,ne butiro, latte, formaggio, ne altri cibi vietati nella quareſima.

Che conforme all'obligo, che tutti hanno ſottopena di peccato mortale, ciaſcuno in ogni giorno quadrageſimale, fuori delle domeniche,digiuni; eccettuati quelli, che per l'età, ò altra giuſta cauſa ſono eſſenti da queſt'obligo.

Che li cibi vietati quali douranno ſeruire per vſo degl' *infermi*, non ſi vendino,ne ſi tenghino in piazza, ò in luogo publico: ma in qualche luogo ritirato,e ſi tenghino coperti.

Che detti cibi,non li poſſa vendere ogn'vno, ma ſolamente quelli c' haueranno licenza ſottoſcritta dall' noſtro Vicario generale

nella

nella Città; e nella dioceſe dalli vicarij foranei.

Che non ſi venda ogni ſorte di carne, ma ſolamente d'animali, che à giuditio de Medici ſia per vſo d' infermi, e quella non ſi venda ad ogn'vno, ma ſolamente à chi hauerà licenza, la quale ſe non haurà tempo determinato, s'intenda finita, ſubito che ſerà ceſſata la cauſa, p la quale è conceſſa.

Che gl' Hoſti, Tauernari, & altri, ch'alloggiano, e danno da mangiare, non tenghino ne vendino, ne mettano fuori à vendere, ne ponghino in tauola à foreſtieri, ò ad altri qualunque ſieno, carne, latticinij, ò altri cibi proibiti, ſe non hauranno licenza particolare.

Che neſſuno di qualſiuoglia ſtato, grado, ò conditione, giuochi ad alcuna ſorte di giuoco, mentre ſi celebrano le meſſe, ò ſi predica.

Tutte le coſe preſenti commandiamo, ſotto le pene ordinate da ſacri Canoni, Concilij, Coſtitutioni Apoſtoliche, e Sinodali, & altre ad arbitrio.

Eſſortiamo ciaſcuno, ch' in queſto tempo di quadrageſima frequenti la meſſa, e la predica,

dicà, e ſi ritiri à diſciplina più ſeuera di vita, e ſi conformi ad inſtituti, e coſtumi conuenienti à detto ſacro tempo.

*De infirmorum curatione. Tit. xvi.*

PRoximum pulſantis Dñi aduentum, corporis ægritudinem indicare monetur S. Gregorius, cui confeſtim aperiri à fidelibus omnibus, præſertim vero curæ noſtræ ſubiectis, ſummopere cupientes; monemus omnes in Domino, & patres fam. in primis, ac alios domeſticos, vt ſtatim ac quemquam domi ſuæ ægrotantem decumbere compererint, parochum eius, & confeſſarium uocent, vt orent ſuper eum, & cohortatorijs verbis iuxta rituale Romanum de viſitatione, & cura infirmorum conſolentur, dirigant & moneant præſertim de ſacramento poenitentiæ: vt eum ad ſacrã confeſſionem inducant, & ad aliorum ſanctorum ſacramẽtorum opportunam ac celerem dum ſana mens eſt, integrique ſenſus, religioſam, & ſalutarem ſuſceptionẽ, & ſi opus fuerit, tam infirmo quàm eius coniunctis, vel familiaribus in memoriam

reuocet, Lateranenſi Concilio, & plurimorum ſummorum Pontificum decretis, & cõſtitutione nouiſſima Pij Quinti; grauiſſimis poenis medicis interdictum, ne tertio die ulterius ægrotos viſitent niſi prius certo conſtiterit infirmos confeſſionis ſacramento rectè expiatos fuiſſe, cuius conſtitutionis tenorem, ſubinferri voluimus: mandantes quatenus opus ſit medicis, & chirurgis quibuſcumq; ſub poena peccati mortalis, vt in prima viſitatione infirmorũ decumbentium, eos de confeſſione facienda moneant, nec tertio die vlterius eos viſitent, niſi eis quod confeſſi fuerint, vel per eos non ſteterit, certo conſtiterit, prout in conſtitutione prædicta, tenoris ſequentis.

Pius Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

Supra gregem Dominicum noſtræ vigilantię diuinitus creditum, vigilis ſpeculatoris pro ut nobis deſuper conceditur exercentes officium, ad ea per quæ animarum ſaluti cum diuini nominis gloria conſuli valeat, libenter intendimus: vt Chriſti fideles poſt baptiſmum in peccata lapſi per ſacramentum pœnitentiæ Deo reconci-

cilientur. Sanè cum infirmitas corporalis, nonnunquã ex peccatis proueniat, dicẽte Dño languido quem ſanauerat, Vade, noli peccare ne quid deterius tibi cõtingat; ac propterea prouidè fel. recor. Innocent. iij. prędeceſſor noſter, medicis pręcepit, vt cũ eos ad ægrotos vocati cõtingerit, ipſos ante omnia moneant, vt animarũ medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur in deſperationis articulum incidant. Nos igitur volẽtes hoc tam ſalutare præceptum, nulla temporis præſcriptione aboleri, ſed ſemper obſeruari, conſtitutionem præfatam, authoritate Apoſtolica tenore præſentium innouamus, & hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus, & decernimus: quod omnes Medici, cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint ipſos ante omnia moneant, vt idoneo confeſſori omnia peccata ſua iuxta ritum S. R. Eccleſiæ confiteantur, neq; tertio die vlterius eos viſitent niſi longius tempus infirmo confeſſor ob aliquam rationabilẽ cauſam, (ſuper quo eius conſcientiam oneramus) conceſſerit, & eis per fidem confeſſoris in

ſcriptis factã conſtiterit, quod infirmi vt præmittitur peccata ſua confeſſi fuerint. Cõiũctos verò, ac oẽs familiares, & domeſti cos infirmi in Dño rogamus, & monemus, vt de infirmitate parochũ certiorẽ faciãt, ac tã parochus, quã coniũcti, & familiares præfati infirmum ad confeſſionem peccatorum ſuadeant, & inducant. Quod ſi medicorũ præmiſſa non obſeruauerint vltra pœnas in dicta conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò ſint infames: & gradu medicinæ quo inſigniti erant omnino priuentur, & à Collegio, ſeu vniuerſitate medicorum eijciantur, ac pœna etiã pecuniaria arbitrio ordinariorum vbi deliquerint multentur, & vt hæc omnia inuiolabiliter obſeruentur, volumus; & eadem auctoritate præcipimus, & mandamus, vt nullus poſt hæc vbique locorum, in medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio, & vniuerſitate concedatur, niſi omnia in preſenti noſtra conſtitutione cõtenta, medico eorum iuramento coram Notario publico, & teſtibus, obſeruare in eorum manibus, vel ordinarij iurauerint, &

de

de huiuſmodi iuramento, in priuilegio ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat, quod ſi Collegia & vniuerſitates præfatæ, non recepto à promouendis iuramento huiuſmodi, eoſd. ad gradum prædictum promouerint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, poenam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi incurrant. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ, omnibus & ſingulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis quatenus in Ciuitatibus, & dioeceſibus proprijs præſentes noſtras litteras publicari faciant, ac iuramentũ prædictum à medicis iam promotis ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remedijs exigant, neque aliquos ad medendum in ciuitatibus & dioeceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit, eos iuramentum huiuſmodi præſtitiſſe; & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiuſmodi iam præſtitum exhibere recuſantes, gradu medicinæ & omnibus priuilegijs, eiſd. Medicis tam coniunctim quam diuiſim eis, & eorum cuilibet cõceſſis, per quos his etiam Romanos

Pontifices priuent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant donec reſipuerint. Non obſtãtibus præmiſſis, priuilegijs, indultis, litteris Apoſtolicis, quibus uis perſonis collegio, & vniuerſitati ſub quibuſuis verborũ formis, & tenoribus conceſſis. Quæ omnia quoad effectum validitatis cõſtitutionis noſtræ tantum reuocamus, caſſamus, annullamus, & omnes principes ſeculares, ac alios dominos, & magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti eiuſdem in remiſſionem peccatorum nihilominus iniungẽtes, quod in præmiſſis omnibus eiſd. Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuũ fauorem & auxilium præſtent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 8. Martij 1566. Pontif. noſtri anno primo.

Si cuiuſcumq; autem parochi in curia contigerit, vt infantes ſine baptiſmo, ſiue adulti ſine pœnitentiæ, aut Sanctiſs. Euchariſtiæ, vel extremæ vnctionis ſacramentis deceſſerit, hunc graui arb. noſtro pœnæ volumus ſubiacere. De

## De Sacramento extremæ vnctionis. Tit. xvij.

SAcrum extremæ Vnctionis oleum in vaſe ſaltem ſtamneo cum alijs ſacrorũ oleorum vaſibus ſub claue, & ſera diligenter ſeruetur, & cuſtodiatur, nec alijs quam parochis, vel ſaltem conſtitutis in ſacris tradantur ſacra prædicta olea; vaſculũ autem quod cũ huiuſmodi oleo ad infirmos defertur ſit argenteum vel ſtamneum, & ſimiliter cum bombacio nitido, intrinſecus, & ab alijs ſacris oleis diſtinctum, in tuto, & honeſto loco aſſeruetur, illud quidem quoties deferri oportuerit, in burſa ſerica, vel ſaltem ſub decenti ſerico velo, honorificè deferatur.

Atque in eo miniſtrando ritus, preces, orationes, & obſeruationes illas, quæ in Rituali Romano habentur, adhibendas, & infirmos dùm adhuc quid agant intelligunt, & ſenſu quantum fieri poteſt integro exiſtunt, piè, & religiosè inungendos eſſe præcipimus.

Parochos omnes in Domino vehementer monemus, vt circa decumbentes infirmos ma-

maxime autem morti proximos; quibus tunc grauiſſimum cum humani generis hoſte certamen inſtat, exactiſſimæ pietatis munus exequantur, & poſtquam infirmos extremæ vnctionis oleo inunxerint, de cuius virtute, eos quatenus per tempus liceat præmonere debent, ſæpe viſitent, uel apud ipſos permaneant, eoſdem conſolentur, & ad cæleſtis beatitudinis cogitationem erigant, ac ut forti animo ſint, & mortis metum abijciant, atq; ad æternam gloriam ſe vocatos eſſe cognoſcant, diligenter hortentur; eiſdemque iniungimus, vt ſuæ curæ commiſſos commoneant, ne grauiter ægrotantes, uel morientes, aut in mortis articulo conſtitutos, vanis, ac ſæcularibus negotijs, vel ſermonibus aut commemorationibus, ſeu luctibus importunis perturbent, aut commoueant: ſed tanto exẽplo conterriti, finem vniuerſæ carnis recogitantes, ſemet ad meliorem frugem diſponant, & feruẽtibus, & aſſiduis precibus infirmos iuuent, cum ſatis ſuperq; ſit, quod per ſe humani generis hoſtis, & inſidiator diabolus tunc molitur, calidiſſimus enim ſerpens nullo vmquam tempore Chriſti

fide-

fideles grauiùs oppugnare ſolet, quàm cũ ex hac vita migrandum eſt; & proinde ſi quidem omni tempore, tùm verò maximè enitendum eſt, ne illius, aut decipiamur inſidijs, aut vi ſuperemur.

*De Sacramento Ordinis. Tit. xviij.*

EAm diligentiæ rationem, quæ in ordinibus quibuſcumque conferendis, ac ſuſcipiendis adhiberi debet, tam ſalubriter, & accuratè Sac. Conc. Trid. decreta cõplectuntur, vt nihil aliud prouidendum eſſe duxerimus; quam, vt ead. propoſito generalis ordinationis edicto, parochi pro mouendis declarent, & curent inuiolatè ſeruari, vt qua decet animi puritate, ordinationes promouendi ſuſcipiant.

Qood vt facilius contingat, ſubduntur litteræ generales in forma, vulgari idiomate cenſcribendæ, tenoris ſequentis.

*Littere communi alli Reuerendi Arcipreti, e Parochi intorno all'Ordinationi.*

LI giorni paſſati fù publicato editto ſopra l'ordinatione da tenerſi in queſta Cate-

drale, nel ſabbato delle proſeſſione quattro tēpora, che ſeranno li del meſe
nel quale ſi notificaua à tutti tanto della Città, quanto della Dioceſe, che deſiderano eſſere promoſſi à qualch'ordine, douerſi preſentar' à Noi, e darſi in nota fra certo termine al Maſtro d'Atti di queſta Corte Veſcouale, cō li lor nomi cognomi, & ordine che deſiderano pigliare; nel qual termine ſono comparſi gl' infraſcritti di coteſta terra. Per tanto V. S. dourà nella prima proſſima feſta, mentr'il popolo è congregato alli diuini officij, publicare il nome, cognome, e deſiderio di ciaſcuno, e poi farl'affigere alla porta della Chieſa: ammonendo li circoſtanti, che s'alcuno v'è, c'habbi d'opponere contro dette perſone qualche difetto, ò vitio d'animo, ò di corpo, ò altro impedimento canonico, ſinceramēte, in termine di quattro giorni lo ſignifichi à lei, ò ne dia auuiſo quà che ſi riceuerà, e conſiderarà come conuiene di giuſtitia, e V. S. anco ammonirà tutti li Parochi di coteſta terra per noſtra parte, che da loro medeſimi s'informino, ſegreta, e diligentemente, da perſone degne di fede,
della

Digitized by Google

della loro età, legitimità, Fede Catolica, vita, coſtumi, frequenza de ſacramenti, della ſcuola, Chieſa, e dell'eſſercitio de gl' ordini dell'iſteſſi, con darne quà reale, ſincera, e diſtinta relatione, con littere non patenti ma ſigillate, à Noi, ò al Vicario Noſtro Generale per perſona fidata dirette, nelle quali tanto ella, com'eſſi auuiſerà d hauer per ordine noſtro fatta detta publicatione, e diligent'inquiſitione da perſone degne di fede circa l'età, legitimità, Fede Catolica, vita, coſtumi, frequenza di ſcuola, di ſacramenti, & eſercitio d'ordini di ciaſcheduno diſtintamente: auertendo, che contro chi non darà detti auuiſi compitamente per littere ſigillate, ſi procederà alle pene d'imporſi ad arbitrio: notificando á gli ordinandi deſcritti, che compariſcano quà all' eſſame il giorno del meſe con tutti li documenti neceſſarij per le perſone loro: de più leggerà all'altare la preſente in detto giorno, ò altro feſtiuo, e farà la proceſſione, recitando le litanie, & eſſortando il popolo à pregar diuotamente il Signore Iddio, acciò la promotione rieſca à gloria di S. D. M. & à



Digitized by Google

beneficio della ſua Chieſa: auertendo ancora gl'ordinandi, che portino fede de loro parochi, d'hauer la cotta propria, berétta, e ſottana, altrimente non ſeranno ammeſſi all'eſſame, e quando verranno à pigliare gl'ordini ſiano confeſſati al più lungo da cinque giorni prima: e per fine me l'offero, e priego dal Signor Iddio ogni gratia, e contento. Da Sant' Agata

## *De Sacramento Matrimonij. Tit. xix.*

CVm non ſemel, & iterum tantum contigerit, poſt contractum in facie Eccleſiæ præuijs denuntiationibus matrimonium, & conſumatum, ac prolem etiam ſuſceptam; conſanguinitatis, vel affinitatis impedimenta reuelari, quod quidem abſque ſcandalo publico, & coniugum periculo, ac dedecore vix euenire poteſt, ne ignorantiæ pretextu, quiſquam etiam rudis, & illiteratus valeat ſe tueri, curatis omnibus ſub poena arb. mandamus, Sacr. Trident. Conc. decreta, quibus in contrahendis celebrandiſq; matrimonijs certus modus & regula præſcribitur communi Italica lin-

lingua infra menſem poſt huius ſynodi publicationem die dominico vel feſto, inter miſſarum ſolemnia publicari, ac deinde ne eorum obſeruatio ab hominum memoria facile labatur anno quolibet in feſto Epiphaniæ.

Ac præterea librum conficere, in quo vnuſquiſq; parochus ex prædicti Con. decreto, denuntiationes, & coniunctiones matrimoniorum, & coniunctorum nomina, & cognomina, quoque die, menſe, & anno, ac quibus teſtibus præſentibus, matrimonia ipſa contracta fuerint deſcribere teneantur ſub pœnis arbitrio.

Quod ſi in futurum quiſquam per negligentiam, vel malitiam poſt vltimam ſaltem denuntiationem habitam, parocho impedimentum pandere detrectauerit, quod quidem ſub pœna excommunicationis prohibemus, hunc inſuper nolumus à quoquam abſolui poſſe, niſi in mortis articulo, præuia ſi verbum formare poterit reuelatione extra confeſſionem, parocho, vel confeſſario facienda, nobis ſtatim ſignificanda, vt legitimè, & celeri, ac tutiore via prouideri poſſit.

De-

Digitized by Google

Demum quacunq; huius ſacramenti ſancti-
tati, & honeſtati contraria videbuntur,
curati pro eorum prudentia tollere,& pe-
nitus abolere ſtudeant,& nos de his certio-
rare: ſi quos autem in gradibus à iure pro-
hibitis contraxiſſe repererint, ab inuicem
omnino curent ſtatim ſeparare, & de per-
ſonarum ſic illicitè coniunctarum quali-
tatibus; & an ſcienter, vel ignoranter, &
an præcedentibus denuntiationibus, & an
prohibente parocho,quaue ex cauſa con-
traxerint, Nos vel Reu. Vicarium noſtrũ
generalem certos ſtatim reddere, vt ſcan-
dalis eo meliori modo, quo fieri poteſt ce-
lerrimè reparetur.

Commonentes omnes de excommunicatio-
ne latæ ſententiæ,& reſeruatæ cõtra ſpon-
ſos, & eos qui illos iuuant ad concubitum
carnalem ante celebrationem matrimonij
in facie Eccleſiæ: quam etiam extendi-
mus contra impios illos, qui veneficijs,
incantationibus, ſeu quibuſque alijs dia-
bolicis artibus faſcinare, ligare, ſeu alio
modo impedire ſponſos nituntur, quo mi-
nus valeant matrimonium conſumare, vel
ad id ſcienter iuuant aut efficaciter conſu-
lunt.

Digitized by Google

ſunt. Et de pœna excommunicationis cō-
tra ſponſos ſe ſine licentia, & propinquo-
rum præſentia viſitantes. Nec poſſe Paro-
chos coniungere eos, qui fideli principia,
nempe Symbolum ſaltem Apoſtolicum,
orationem dominicalem, & ſalutationem
angelicam congruè non recitauerint, & ab
octo vt plurimum diebus confeſſionem
feciſſe eis certo non conſtiterit.

Volumus etiam parochos ante matrimonio-
rum denuntiationes, ab aliquibus ſeniori-
bus, & prudentioribus intelligere: ſi quæ
fortè cognatio ſpiritualis, vel naturalis,
aut aliud canonicum impedimentum in-
terſit, & vbi nihil obſtare cognouerint, tū
demum pridiè ſaltem ante publicationem
interrogare ſponſos, an placeat illis fieri
publicationes, & nihil vlterius pro tunc
quærere: omnibus autem alijs publicatio-
nibus habitis, pridiè ſaltem antequam ma-
trimonium celebretur interrogare ſeriò
mulieres præſertim, & filios fam. de eorum
voluntate, ne matrimonium in quo liber-
tas requiritur, vi, & metu celebretur, quos
validis adhortationibus monebunt, vt ora-
tionibus, ieiunijs, & eleemoſinis, ad matri-
mo-

monium celebrandum, & benedictionem ſuſcipiendã, in miſſa pro ſponſo, & ſponſa piè, & deuotè ſe præparent, crebrò inter conciones monentes, qua prudentia, & circũſpectione de matrimonio ſit tractandum, & quam ſanctè, & religiosè exemplo Tobiæ iunioris in eo conuerſandum, pariter, & de Christiana filiorum educatione, pœnas contentas in Syn. 2. fol. 161. & ſeq. excommunicatione excepta, contra parochos, & quoſcumque ſacerdotes, qui eorum nomine temporibus ab Eccleſia prohibitis nuptias ſolemniter celebrauerint, & coniuges ſolemniter deduxerint pariter contra eos, qui trinas proclamationes, tpe debito ommiſerint, vel teſtium numerum legitimum non adhibuerint ad matrimonia celebrãda, & eos qui ſponſos illicitè cohabitantes non denuntiauerint.

## *De Eccleſijs & earum reparatione cultu, & ſerũm. Tit. xx.*

ECleſias omnes, & Capellas, Oratoria, Sacella, Hoſpitalia, ac quæuis pia, & religioſa loca reparari, & inſtaurari, atque pro

Digitized by Google

pro redituum qualitate conſeruari mandamus, omnibus, & ſingulis, ad quos pertinet.

Prouideri inſuper, vt capellis, altaribus, rectorijs quibuſcumque, quæ in Eccleſijs dotata reperiuntur, onera ex fundatione, vel antiqua inſtitutione iniuncta, & conſtituta, integrè perſoluantur; præſertim verò diuina officia, & miſſas tempore debito piè, & deuotè celebrari.

Altaria, & Capellas quæ ſine dote ſunt, vel tam exigua, vt beneficiatis non obueniant fructus vltra duos carolenos pro qualibet miſſa, vbi parum ornata conſpiciuntur, ſi fundatores illa dotare, inſtruere, vel ornare nequierint, infra ſex menſes, vt eos ad id monemus; mandamus dicto tempore elapſo alijs concedi, & vbi Eccleſiæ aſpectus deformetur, vel decens eius obſequiũ impediatur, etiã dirui; nobis tamen prius conſultis. Nec noua erigi, niſi pro altare ducati duo annui ſpecialiter aſſignentur, quibus perpetuò decẽter valeant ſuſtineri.

Cum non liceat altaria, in quibus ſacra myſteria celebranda ſunt, niſi benedictis pallijs, ac linteaminibus, ſeu tobaleis cooperire, &

ornare, nec deceat vt quæ ipſi Domino in eiſd. miſterijs deſeruierunt ad priuatos hominum vſus amplius transferantur, interdicimus ſacerdotibus, & clericis omnibus, ne linteaminibus huiuſmodi non benedictis etiam auro vel argento elaboratis, ſeu ſerico depictis, altaria poſthac cooperire, vel ornare præſumant, ſimiliter etiā prohibemus eiſd, ne ſub graui pœna ſacra linteamina, velamina, & alia ornamenta ſeu paramenta & ſacra vaſa Eccleſiarum Deo conſecrata, ſiue benedicta ad profanos ſeu priuatos vſus quomodolibet conuertere audeant, vel accommodare ſub pœnis bene viſis.

## *De Præbenda Theologali & lectione habenda. Tit. xxi.*

CVm præbenda Theologalis adhuc ab eius primeua inſtitutione vacet, ex quo perſonæ ad huiuſmodi munus obeundum non adſint; ne ob id diuinus cultus diminuatur, propterea ex annuo 30. ducatorū reddito ad id deputato, vbi non adſit de capitulo, vel clero ciuitatis, vel diœceſis,

qui

qui munus hoc ſubire valeat, regularis aliquis vocetur, qui bis in hebdomada, vel diebus omnibus feſtiuis (exceptis quadrageſima & menſe Auguſti, ſiue alias pro ut melius iudicauerit expedire Reuerendiſs. Epiſcopus) conſcientiæ caſus legat, vel ſacramentorum inſtitutionem vim eorũdemq; adminiſtrationem ritè, & rectè exhibendam in cathedrali noſtra, vel ſachriſtia exponat, cum pœna non intereſſentibus in veteri ſynodo appoſita.

In Terris autem Ayrolæ, & Argentij quod opus tam neceſſarium neglectum reperimus, ſtipendium duodecim ducatorum annuorum, iuxta decretũ Sac. Trid. Conc. ſeſs. 5. de refor. c. 1. exigi à benefitiatis pro lectore mandamus, cum eod. onere, & pœna negligentibus intereſſe.

## *De Pœnitentiariæ erectione. Tit. xxij.*

ANimarum ſaluti conſulere, & Sac. Trid. Conc. ſeſs 24. de refor. c. 8. decretis parere ſtudentes, pœnitentiariæ munus in cathedrali noſtra perneceſſarium erigere, & perpetuo ſtabilire diù peroptauimus: at

quod ob tenuitatem redditnum erectam ab annis circiter quinquaginta præbendã Theologalem, adhuc ab eius primeua inſtitutione vacare comperimus: ne idem quoque de pœnitentiaria, cum diuini cultus detrimento contigeret dubitantes, tantum onus, dignitati, & commodo emolumento inniti deliberauimus: vt nunc, & perpetuis etiã futuris temporibus, ab idoneo viro ſubſtineretur, quod & diuina fauente clementia adepti ſumus dum vacante de menſe Auguſti 1610. per obitum quon. Michaelis Terragni, opulenta præbenda illam decanatui cum hoc onere, de conſenſu expreſſo Reu. & dilecti nobis in Chriſto fratris D. Titi Calandrelli V.I.D. annexuimus, eundemque qui ſecundam in cathedrali noſtra obtinet dignitatem, & moribus ætate, & ſcientia idoneus reperitur pœnitentiarium deputauimus, ac omnes eius ſucceſſores, prout latius ex litteris noſtris deſuper expeditis.

De

## De vita, & honeſtate clericorum, ac obſequio per eos Eccleſiis præſtando, eorumdemq; immunitatibus. Tit. xxiij.

MVltiplicatur numerus clericorum, ſed non magnificatur lætitia Eccleſiæ per eorum promotionem, niſi magno delectu admittantur, & ſedulò ſtudio eorum moribus inuigiletur, quo circa parentes, & propinquos ſeriò monemus, ne per carnis affectus, & cupiditatem, filios, nepotes, & coniunctos vi, metuue, ſiue blanditijs, & vanis figurationibus ad clericatum impellant: quin vltrò clericatum appetentes remorentur ad tempus, ſcilicet per annum circiter: & interim, eos ad Sanctorum Sacramentorum verbi Dei, doctrinæ Chriſtianæ, & ſcholæ frequentiam, & pios mores, verbo, & exemplo hortentur commonefacientes, maximè dedecere ſi quod ſæpe contingit, poſita manu ad aratrum retrocedatur, vbi verò firmum eorum propoſitum compertum habuerint, de ſuper pelliceo veſtibus talaribus, bireto, proprijs, nouis, & congruis prouideat, iuxta noſtra decreta, nec ante ſextum decimum ſaltem

an-

annum inſtent eos promoueri, vt ſpecimē aliquod egregium virtutis, tanto honore dignos eos eſſe commendet: ſollicitiori adhuc ſtudio, poſtquam promoti ſunt attendētes, vt Eccleſiæ cuius obſequio ſunt adſcripti, iugi, & religioſo ſeru. dominicis, & feſtis ſaltem de præcepto diebus inſiſtant, caſtitate, modeſtia, manſuetudine, & reliquis virtutibus fulgidi.

Quod ſummoperè cupientes, ſtatuimus, vt quolibet ſaltem menſe confiteri, & ſacram Euchariſtiam prima menſis dominica (niſi aliquod rationabile impedimentum occurrerit) deuotè ſumere, & bis in anno quarto ſaltem die poſt paſcha, & Aſſumptionē Beatæ Mariæ Virginis, Vicarijs noſtris, generali in ciuitate, & foraneis per Diœceſim, per ſe abſq; vlla requiſitione ſub pœna carceris arbitrio teneantur de his docere, ex atteſtatione Confeſſarij in ſcriptis: qui Vicarij nos infra octauas antedictorum feſtorum de paritione, vel contumacia cuiuſque, certiores facient: pariterq; & de ſeruitijs miſſarum, frequentatione verbi Dei, & doctrinæ quibus eos additos eſſe cupimus, ſicuti pro numero noſtro tenemur;

Digitized by Google

mur:ſi quis autem de prædictis integrè non docuerint,ſi quidē,de confeſſione,& ſacra communione primo ſemeſtri, mulctentur aliqua leui poena in piorum locorum cō-modum arbitrio noſtro : ſi pauperes ſunt detineantur per aliquot dies in carcere, quod ſi etiam in ſecundo defecerint carceri mancipentur per menſem , ſi autem tertio id contigerit priuilegio clericali priuentur . Si autem doctrinam chriſtianam recitare nequierint,& eam non frequentauerint, ſaltem dominica prima menſis , ſimul cum miſſa maiori veſperis lectione, & concione inſeruiendo, quælibet die dominico & feſto cum cotta, vltra poenam ſingularem quā pro quacumque vice incurrēt dimidij caroleni, Eccleſia cui ſunt adſcripti applicādi,ſi tertio defecerint abſq; rationabili cauſa vel licētia in menſe vnius caroleni, ſi autem decies in ſemeſtri carcerentur, & leganțur & notentur deſertores muneris ſui in ſacriſtia: & tertia pars poenarum detur punctatori,neq; tales admittantur ad ordines pro primo ſemeſtri: in ſecundo autem mulctentur arb. vt ſupra primo loco,ſi autem tertio quoque ſe-

me-

meſtri fuerint contumaces grauius pu-
niantur, vſque ad carceres per menſem,
& intimetur eis priuatio in poſterum niſi
reſipuerint: quæ autem de clericis dicta
ſunt, & de his qui in ſacris ordinibus con-
ſtituti eò magis intelligantur, niſi rationa-
bile aliquid quemcumq; excuſauerit, à
quibus, imò de frequentiori communione
teſtimonium requirimus, iuxta Sac. Trid.
Synod. monitum, ſi vlterius progredi cu-
pient. Monentes eoſdem omnes cuiuſq;
ſint gradus, vt Magiſtro cæremoniarum,
ac Doctoribus Eccleſiarum in quibus ſunt
deputati obediant, in his, quæ ad cultum
diuinum ſpectant, & proprium cuiuſque
miniſterium, inſeruiant Eccleſijs, quibus
ſunt adſcripti, & in ordine proprio ad quē
reperiuntur promoti: Cum autem nume-
rus clericorum amplior adſcriptus repe-
riatur ſeru. Cathedralis, mandamus ſub
pœna dimidij caroleni applican. pro qua-
ta parte clericis ſeruientibus, & pro alia
Eccleſia, vt iuxta tab. conficien. in ſacri-
ſtia vnuſquiſque eorum ſemel in menſe die
feriata inſeruiat miſſis lectis, à prima miſſa
vſque ad nonam. Nec quiſquam primam

mis-

miſſam abſque licentia in ſcriptis à nobis vel Vicario noſtro generali in ſcriptis, & gratis concedenda celebrare præſumat: neque aliquem in iud. conuenire vel pro alio aduocati munus exercere coram Iudice ſæculari, vel ibi examinari iuxta decreta in fol. 18. & ſequ. ſecunda Synodo ſub tit. de educatione & diſciplina clericorum ſub pœnis ibid. contentis, quos moderamus ad dimidietatē in caſibus qui hoc §. monentes comprehenduntur in reliquis pro ut de iure.

Hortamur autem, & monemus omnes locorum Dominos, & eorum officiales quoſcumque ſub pœnis contentis in ſacris canonibus, concil. & conſtitutionibus apoſtolicis, vt immunitates, exemptiones clericis quaſcumque de iure canonico vel ciuili, aut ſecundum Regiam Summariam, vel locorum conſuetudinem cōpetentes, & omnia, & quæcumque priuilegia obſeruent, & obſeruari faciant mandantes lanionibus ſub poena excommunicationis, eiſd. franchitiam non denegare.



Digitized by Google

ECcleſiarum vtilitati & obſequio atque animarum ſaluti maxime expedit Paſtorum & earumd. rectorum reſidentia merito per Sacros Canones, Conc. Trid. & conſtitutiones Apoſtolicas monita, & ſub grauibus poenis iniuncta. Hortamur propterea omnes & ſingulos cuiuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis qui de iure vel conſuetudine reſidere tenentur ſuo muneri omnino non deeſſe, quod ſi quandoque vrgente neceſſitate vel vtilitate, aut ſaltē alia honeſta cauſa, vltra quinque dies abeundum erit id abſque licentia in ſcriptis à Vicarijs noſtris gratis concedenda nolumus cuiquam licere, ſub poenis contentis in Syn. f. 78. mandantes Vicarijs prædictis licentias illas diligenter ſeruare, nec vltra duos menſes in annum cuiquam concedi, niſi nobis antea deſuper certioratis: vbi verò abſentia non aſcenderit ad quinque dies grauamus eorum conſciētias vt infra diem vel biduum poſt redditum eiſd. Vicarijs renuntient numerum dierum abſentiæ, ſub poena carolenorum quinque, ꝙ

vbi

vbi etiam licentiam habuerint facere te-
neantur. Similiter parochis omnibus re-
ctoribus parochialium (ciuitatis tantũ ob
earum tenuitatem & loci anguſtiam, ſituſ-
que vnionem exceptis) mandamus, intra
limites parochiæ reſidere ſub pœnis arb.
uſque ad priuationem illius extenden. ſi
poſt monitionem noſtrã vel curiæ in ſcri-
ptis detrectauerint reſidere, & ita decreta
Synodalia f. 98. & 107. temperamus.

## *De Punctatoribus.* Tit. xxv.

PVnctatores duo anno quolibet, & prin-
cipio anni creentur in cathedrali noſtra;
alter ab Epiſcopo, & alter à Capitulo cũ
ſolitis oneribus, & honoribus, in alijs au-
tem collegiatis Eccleſijs ciuitatis, & diœ-
ceſis, vnus ab ipſiſmet capellanis eligatur
in vnitate quidem ab Epiſcopo per diœ-
ceſim vero à Vicarijs foraneis approban-
dus, & omnes vel coram R. Vicario no-
ſtro generali, vel coram ipſis Vicarijs fo-
raneis, & duobus teſtibus in ſuſceptione
muneris iurent ad Sancta Dei Euangelia
ſe fideliter, & ſincere quantum in eis erit

munus id exequuturos, quod etiam iuramentum præſtabit clericus per nos deputan. in cathedrali pro commiſſis erratis & ommiſſis clericorum: officium autem erit eorum Canonicorum, vel Capellanorum abſentiam, & eius cauſam, ac errata & ommiſſa in diuinis offitijs præſertim circa miſſarum celebrationem in proceſſionibus, & alijs Eccleſiæ obſequijs debitis fideliter adnotare, & punctare, non tantum abſentes, ſed eos quoque qui vel hora præſcripta non aduenerit, vel non præſtiterit, vel minus deuotè verſatus fuerit, vel quoquo modo aliter demeritus muneri ſuo non ſatisfecerit: quibus ſub poena arbitrio mandamus, vt ſaltem infra tertium diem cuiuslibet ſequentis menſis, debeant de præcedenti menſe nobis, vel prædictis Vicarijs noſtris rationem punctatorum notatorum reddere, qui legitimè prouidebunt ſuper erratis, & ommiſſis, & commiſſis, ne Eccleſiæ obſequio, & piorum voluntati, ac fidelium ſuffragijs fraus vlla fiat, vel damnum generetur prouiſo, vt debita vnius caroleni poena pro cuiuſque miſſæ ommiſſione ipſo iure commiſſa mul-

ctetur,

ctetur, qui abſque rationabili cauſa celebrare prætermiſerit, & miſſæ ommiſſæ, vel reſtituantur intra quindecim dies, vel cum Reu. Fabrica ſuper eis tranſactum fuiſſe doceatur.

Nouerint autem punctatores de proprio teneri Eccleſiæ ſatisfacere, ſi quem notandum non punctauerint, ac itidem læſo, ſi quem iniuria notauerint; librum punctatorum diligenter cuſtodiant, & talem cōficiant, quem poſſint decenter corā Epiſcopo, vel Capitulo omni tempore exhibere, & completo officio punctatos in ſacriſtia cum duobus renuncient cum cauſa punctationis, vel id notetur in ſedula affigenda ad valuas interioris ſachriſtiæ, vt punctati eod. vel ſequenti die coram Præfecto Chori vel Vicarijs noſtris valeāt, ſe abſque tamen vllo ſtrepitu, & contentione difendere, & vbi ſenſerint ſe grauatos, poſſint ad Vicarium noſtrum generalē recurrere: qui ſine ſcriptis ſtatim prouideat de ſubſtituto approbando, ſi diuturna fuerit abſentia per Vicarios prædictos, vbi vero non vltra diem fuerit qui choro præſidet illum pro ea die conſtituat

nisi

niſi punctator ipſe alterum ſubſtituerit.
Punctatores ſacris horis, & officijs omnibus interſint, quod ſi legitimè fuerint præpediti ubi diuturnum futurum ſit impedimentum, alium à Vicarijs antedictis approbandum ſuſtituant, vbi verò non vltra fuerit, qui choro præſidet illum pro ea die conſtituat, niſi punctator ipſe ſuſtituerit.
Abſentia nota ſit ab erratis aliquo modo in eodem libro diſtincta, ſingulis hebdomadis ambo punctatores cathedralis libros inter ſe conferant, libri autem ſeruentur penes Theſaurarium in arca capituli, & anno quolibet prima vel ſecunda dominica Aduentus, Reuerendiſſimo Epiſcopo in ſcriptis renuncietur de cuiuſque erratis abſentia, & defectibus, vt colligi poſſit an ultra duos uel tres menſes defecerit, & legitimè procedi iuxta ſacrorum Canonum & Sacr. Trident. Concilij decreta, quæ relatio etiam ab eodē Theſaurario ſeruetur.

## *De Examinatoribus Synodal. Tit. xxvi.*

EXaminatores ſex quolibet anno in Synodo deputentur, ſcientia & morum uita

ta atque prudentia idonei, quorum tres ſaltē interueniant in concurſu parochialium iuxta decreta Sacr. Conc. Trident. qui iurabunt. iuxta formam ibi traditam, quorũ ēt opera in deputatione confeſſariorũ, & alijs grauibus caſibus uti poterit Epiſcopus, nũc aũt deputauimus ut ſupra.

## *De locorum piorum adminiſtratione. Tit. xxvij.*

LOcorum piorum bona ſodalitiorum pia inſtituta augeri in diœceſi noſtra cupiẽtes, monemus omnes in Domino præſcriptas cuiuſque confraternitatis regulas diligenter obſeruare, memores non eos qui dixerint Domine, Domine ingreſſuros regnum cœlorum, ſed qui fecerint uoluntatem Dei, & aggregationes ubi opus ſit ab aliqua Vrbis Archiconfraternitate obtinere, vt indulgentiarum participatione, pinguiorem fructum reportent. Et quo melius in futurũ dirigantur, & bona cautius adminiſtrentur, ordinamus iuxta decreta in prima Synodo quolibet anno officiales renouari, per nos approbandos, &

anno

anno quolibet pro ut Sac. Conc. Trid. caueter rationem geſtæ adminiſtrationis nobis, vel per nos deputandis reddi: quod vt commodius, & oportunè fiat de menſe Septembris, nouos fieri officiales uel eos qui facti ſunt confirmari per nos approbãdos, & perpetuis futuris temporibus tam in ciuitate quam in uniuerſa diocceſi mutandos, & eod. uel certe ſequenti menſe, quibus in ſcripto confirmationis officialium manu dabatur rationem reddi, & ne quod ſæpe euenit contingat vlterius, oriri in creatione officialium diſſidia, & per ſanguinem, & affectionem minus habiles creari, conſcientias nominantium grauamus: fideles, & idoneas tantum perſonas nominari, mandantes, ne deinceps conſanguineos vel affines in ſecundo gradu, neq; eos qui per triennium non vacauerint à munere nominari poſſe, neque filiosfam. niſi præuia idonea cautione, neque debitores locorum piorum quorumcumque; maximè verò ex cauſa adminiſtrationis: vbi autem ob loci anguſtiam coniunctos nominare ſuaderet, Eccleſiæ vtilitas; id in electione exprimi, vt in confirmatione an id

ex-

Digitized by Google

expediat deſpici valeat, & vt locorum piorum indemnitati perpetuò ſit cautum, mandamus vbi redditus ad ducatos quinquaginta annuos aſcenderent, per eos qui adminiſtraturi ſunt idoneã præſtare cautionem, ſaltem iuratoriam, de fideli adminiſtratione facienda, & ratione reddenda, & de non erogando vltra conſuetas, & debitas expenſas, extraordinariè vltra 12. ducatos, in annum abſque licentia noſtra in ſcriptis, vel conſenſu generalis congregationis; quam de menſe Ianuarij, & Maij habendam ſtatuimus, vt in ea de grauioribus ad cultum diuinum ſpectantibus, & vtilitatem ſodalitij, & iurium eius, directionem agatur, & hæc ſtatuimus, confirmantes ea, quæ in hoc genere ſalubriter in ſynodo prima fol. 41. & 135, ſub tit. circa mutat. officialium ſunt ordinata, poena excommunicationis latæ ſententiæ excepta, cuius loco poenam priuationis ſubrogamus, & in ſubſidium excommunicationis. Mandantes ſub eiſdem poenis iuxta ſynodum Beneuent. & noſtram, locationes de illis bonis non fieri, & factas quibuſcumque aut facien. non tenere vl-



Digitized by Google

tra annos duos, niſi de licentia noſtra in ſcriptis gratis cõcedenda, & reuelari quæcumque bona, ab annis triginta, & infra alienata reperiuntur.

## De Sepulturis. Tit. xxviij.

NE per eorum, quibus incumbit cura animarum, negligentiam accidat, quo minus ægroti in extremis cõſtituti omnibus ſacramentis ab Eccleſia ad emigrationẽ ordinatis, prouiſi decedant, mandamus ſub poena arb. ne poſt hæc defuncti ad ſepulturam, niſi de Vicariorum noſtrorum generalis in hac ciuitate, & alibi per diœceſim foraneorum ſcitu, ac licentia deportari poſſint, vt Vicarij noſtri inde ſciant, qui abſque neceſſaria ſacramentorum prouiſione mortui ſunt, nec non teſtamẽtis legata habeant cognita, & quid pro male ablatis (vt notant) menſæ Epiſcopali debeatur. Quod ſi qui abſque debita ſacramentorum prouiſione ex parochorum negligentia moriantur, parochi iuxta ſacros canones, ac pro ut iuris fuerit ſeuerè puniantur, ſi verò aliquis pro ſua culpa



Digitized by Google

abſque dicta ſacramentorũ prouiſione deceſſerit, ne ipſis nobis, non præmonitis, ſacra ſepultura concedatur, præterquam repentina morte ſublatis; ſi tamen eo anno Eccleſiæ præcepto de cõfeſſione, & ſacra cõmunione ſuo tpe ſatisfecerint; nemo ẽt humari permittatur, niſi per duodecim horas poſt efflatam animam; ænergumeni autem, & morte repentina ſublati per viginti quatuor horas ſupra terram ſteterint.

Nullus quoque domo funus efferre audeat, niſi proprius parochus, aut eo legitimè impedito alius ſacerdos ab ipſo ſubſtitutus, atque in eleuatione, deportatione, ac ſepultura defuncti, adhibeantur ſolitæ preces, ac cæremoniæ ſacræ, iuxta rituale Romanum titulo de exequijs.

Defunctus verò in ea Eccleſia ſepeliatur, quã ſibi viuens elegerat, abſque tamen præiudicio iurium parochialium ſi tamen huiuſmodi electio per teſtamentum, aut certos teſtes conſtiterit, ſin minus in familiæ ſuæ ſepulturam inferatur, aut mariti, ſi mulier fuerit, vel ſi tali deerit ſepultura, in parochiali Eccleſia vbi deceſſit ſepeliat.

Omnibus autem & ſingulis clericis, qui ad

funerales exequias euocati fuerint diſtri-
ctè præcipiendo, mandamus ſub poenis
quæ tenentur in edictis, & alijs arb. vt tam
in proceſſionibus quibuſcumq; quam in
pompa funerum, bini, ſuperpelliceis, ſiuè
cottis induti, ordinatè, & compoſitè cor-
poris habitu procedãt, & præeuntem cru-
cem ſequantur, & comitentur, & quò ve-
nerunt ordine redeant. Et vbi plures preſ-
byteri ad funus vocari contigerit Archi-
presbyter & Vicarius loci adhibeatur.

Habeant parochi librum in quo omnium in
ſuis parochijs humatorum nomina & co-
gnomina diſtinctè deſcribant.

Ne autem debitæ exactionis prætextu mor-
tuorum corpora ſepeliri differatur, præci-
pimus omnibus, & ſingulis capitulorum,
parochialium, & collegiatorum Eccleſia-
rum procuratoribus, rectoribus, parochis,
& curatis, vt ab illicitis exactionibus, & ab
omni ſpecie mali omnino abſtineant, & ſe
non turpis quæſtus cupidos, nec auaros
exactores præſeferant, ſed potiùs ſe in o-
nibus, quæ Ieſu Chriſti; non quæ ſua ſunt
quærere, bonis operibus manifeſtè com-
probent; ac proinde defunctorum corpo-
ra,

ra, chriſtiana pietate ad Eccleſias ſiue cemeteria deferre, & religioſè ſepelire non differant, Vicarios autem noſtros generales, & foraneos, mandamus in hoc maximè vigilare paterna tamen charitate monemus omnes, eleemoſinam iuxta probatam conſuetudinẽ elargiri; vbi verò orietur aliqua difficultas Vicarios noſtros adire, quibus mandamus ſtatim pro ea vice illam definire, nosque vbi partes quererentur certiorare, vt firma & perpetua deliberatio ſtatuatur.

Cum autem Spiritu ſancto Magiſtro melius ſit ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij, vtriuſq; ſexus fideles hortamur in Domino, funera piè, & religioſè vſque ad ſepulturam comitari, ſecretò meditãtes vocem defuncti monentes. Memor eſto iudicij mei ſic enim erit, & tuum, mihi heri, & tibi hodie: curatis verò omnibus mãdamus ne quid vanum ſepulchris, vt vexillorum affixio, aut armorum ſuſpenſio, neque ſuperſtitioſum, mortuorum luctui, & funere permittant, neque in Eccleſijs mulierum eiulatus tolerent ſub poenis arbitrio, quæ ad omnes extendantur; ſed

de-

Digitized by Google

defunctorum propinquos maximè autem mulieres hortentur, luctus occaſione, & prætextu miſſam non prætermittere, ſed eo tempore ſtrictius, propriè & defunctorum animabus inuigilare.

Propè verò altaria mortui non ſepeliantur, nec de cætero ibi ſepulturæ effodiantur, ſed factæ tollantur & ſolo æquentur.

Sed & quantum fieri poteſt, curent parochi, vt veterum more fidelium defunctorum corpora in cœmeterijs ſepeliātur, & in eis ſepultura aut monumenta extruantur, nō autem ita paſſim in Eccleſijs: coemeteria autem beſtijs, nec profanis vſibus pateāt, & ſepulturæ lapideis claudātur operculis.

Cum autem illas repleri contingat, & ob id eas euacuari oporteat, Curatus aut eius Eccleſiæ Rector cineres, & oſſa non in communi aut profano aliquo loco, ſed in coemeterio aut honeſto aliquo propè Eccleſiam receſſu, vbi pedes incedentium non conculcentur, recondi iubeat, vbi commodè id fieri poteſt in aliam vacuam, ſine alterius prçiudicio ſepulturā, reponantur.

Clericorū corpora à clericis, laicorū à laicis, ſaccis ſuarū confraternitatū indutis efferantur.

De

## De Viſitatione. Tit. xxix.

VIſitationis munus Epiſcopi ne dum Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli exemplo ſuſcipere debent, quorum primus poſt Antiochenam Romanam fundauit Eccleſiam, alter ne dum præambulauit Syriam, & Ciliciam confirmans Eccleſias præcipienſque cuſtodiri præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum, ſed vniuerſos penè populos inuiſit, quin, & ipſiuſmet D. N. Ieſu Chriſti, qui, & per Samariam, & & Iudæam, & Galileam legitur ambulaſſe, & circuiſſe caſtella. Verum ad id expreſſe ex Sac. Trid. Conc. decreto tenentur anno quolibet diœceſim ſuam inuiſere, quo igitur facilius, & ſalubrius expediatur, parochis omnibus, & ſingulis, nec non et alijs quibuſcumque beneficiatis ordinamus, vt in aduentu Reuerendiſs. Epiſcopi, ſeu alterius viſitatoris per eum deputandi, libros parochiales exhibeant, inuentarium bonorum ei offerant, vt ſi quid ſuper additum fuerit Eccleſiæ, vel ex largitione fidelium, vel ex defunctorum ordinationis, vel ex ipſius beneficiati induſtria, &

pie-

pietate, addatur inuentario: & ſi quid etiã vſu conſumptum eſt detrahatur, & quod reparatione indiget ordinetur. præmoneant populum ad Eccleſiam properare, & ſalutaria monita audire, & ſuſcipere, locorum piorum magiſtros, de ſtatu bonorum Eccleſiaſticorum, & profectu, ac neceſſitatibus ſpiritualibus ſodalitiorum referre, & vnumquemque ſeriò meditari, ſi quid ſpiritualiter, eis pro cuiuſque ſalute erit communicandum.

*De iure patronat. & iuramento à perſonis, & præſentatis præſtando. Tit. xxx.*

BEneficiorum Eccleſiaſticorum patroni cuiuſcumque conditionis, gradus, & dignitatis ſiue laici, ſiue clerici fuerint, etiã ſi communitates, vniuerſitates, collegia, quæcunq; in perceptione fructuum prouentuum, obuentionum quarumcumque etiam ſi vere de iure patronatus ipſorum, ex fundatione, vel donatione eſſent nullatenus, nullaue de cauſa propria auctoritate ſe ingerant, ſed illos ſub pœnis decreto Conc. Trid. conſtitutis, ad liberam Re-

ctoris

ctoris, & beneficiati diſpoſitionem, & diſtributionem dimittant.

Volumus autem, vt præſentati à quibuſuis perſonis etiam Eccleſiaſticis antequā inſtituantur, ſub hac forma iurent, quam vt rectè intelligatur, exhiberi prius, & ab illis prouideri mandamus. Ego N. præſentatus ad N. Eccleſiam vel N. beneficium, iuro ad hæc Sancta Dei Euangelia per me corporaliter tacta, quod per præſentationem ad prædictam Eccleſiam, vel ad prædictū beneficium obtinendum, neque ego, neq; alia perſona vice, & nomine meo, nec de conſenſu, aut ſcientia mea, patrono, ſeu patronis, aut cuiuſuis alteri eorum nomine aut intuitu aliquid dedi, aut promiſi nec quidquam eius rei gratia inuicem permutauimus, compenſauimus, aut ante datum confirmauimus, aut apud quemquam depoſuimus, donauimus, mutuauimus, commodauimus, aut elocauimus, aut prius depoſitum, donatum, mutuatum, commodatum, aut elocatum, aut quocumq; modo debitum remiſimus, ſeu relaxauimus, nec de ſanctuario, globa, domibus, terris, prædijs, tenimentis, redditibus prædictæ

Eccleſiæ, vel beneficij fructibus, decimis, vel oblationibus eiuſd. præteritis præſentibus, aut futuris, donationem, remiſſionem, vel locationem promiſimus, fecimus, aut pacti ſumus, neque aliquis de mandato, ſcientia, aut conſenſu meo, quidpiam eorũ promiſit, fecit, aut pactus eſt, ita me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euãgelia.

*De cataſto bonorum Eccleſiaſticorum, & locorum piorum faciendo. Tit. xxxi.*

NE futuris temporibus Eccleſiaſtica bona occupantium cupiditate facilè exponantur, & ſimplicitate, ignorantia, vel animi paſſione beneficiatorũ imminuãtur perdantur, diſtrahãtur, vel illegitimè alienentur in Eccleſiarum ipſarum, & ſalutis animarum detrimentum ſtatuimus, & diſtrictè mandamus, omnibus & ſingulis Archidiacono, Canonicis Archipresbyteris, Curatis, Rectoribus Eccleſiarum, & quæuis beneficia obtinentibus hoſpitalium, confraternitatum, & quorumlibet piorum locorum adminiſtratoribus, vt infra ſex menſes ſub pœnis arb. ab huius ſynodi publi-

bli-

blicatione numerandos: omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium; iuriſdictionum pertinentiarum, actionum cenſuum, reddituum, ac nominum debitorum ad eorum reſpectiuè Eccleſias cathedrales, & collegiatas, & illarum menſas capitulares, atque parochiales & alias quaſuis Eccleſias, ſeu beneficia Eccleſiaſtica, hoſpitalia confraternitates & pia loca quæcumque quomodolibet ſpectantium, & pertinentium per publicum notarium coram teſtibus fide dignis, ac alijs honeſtis perſonis, quæ illa nouerint, plenum inuentarium, ſeu cataſtum aut vt vocant plateas, conficiant, ſeu conſcribi, & confici curent, cum eorum omnium quantitatibus, qualitatibus, limitibus, & confinibus, nominatim, in ipſo fideliter adnotandis, in quo pariter, vel etiã in alio ſeorſum conficiendo inuentario deſcribantur, omnium Eccleſiarum ipſarũ menſarũ, beneficiorum Eccleſiaſticorũ, & locorũ piorum prædictorũ quæ extãt fundationes, priuilegia, indulta, conceſſiones, donationes, vniones, applicationes, bullæ, & litteræ Apoſtolicæ, inſtrumenta, ſcri-

pturæ atque alia documenta quæcumq;.

Menſæ autem epiſcopalis inuentarium, ſiue cataſtum quamprimū fieri volumus mandantes vt ex eo tria publica ſeu authentica conficiantur inſtrumenta, quorum primum in Archiuio noſtro Epiſcopali cuſtodiatur, & ſecundum penes capitulum remaneat, tertium verò ad curiam metropolitanam tranſmittatur.

Inuentarij menſæ capitularis duo ſimiliter authentica fiant inſtrumenta, quorum alterum in archiuio capitulari, alterum verò in archiuio Epiſcopali aſſeruentur.

Rectores autem parochialium, & aliarum Eccleſiarum ac reliqui beneficiati quicumque, atque hoſpitalium, & confraternitatum, & aliorum piorum locorum adminiſtratores ſimiliter habeant, ſeu fieri faciant duo publica ſeu authētica inſtrumenta, quorum alterum in Eccleſia, vel in loco beneficij hoſpitalis confraternitatis loci pij conſeruari mandamus, alterum verò in archiuio Epiſcopali: vt in viſitationibus omnium Eccleſiarum, & piorum locorum ex inuentarij inſpectione colligi facile poſſit, ſi quæ in eo annotata, & deſcri-

Digitized by Google

ſcripta fuerunt integra habeãtur, ſeu permaneant, & ſi quod alienatum, vel deperditum eſſe comperietur, in negligentem, vel minus fidelẽ, per ſuſpenſionem à perceptione fructuum, vel cenſuras, & pœnas legitimas animaduerti poſſit.

Huiuſmodi inuentarium tertio quoque anno, & quoties in Eccleſia beneficioue, aut pio loco nouus ſucceſſor extiterit, renouari, & præmiſſo modo aſſeruari præcipimus, & mandamus ſub eadem pœna arb.

*De Repræſentationibus tollendis. Tit. xxxij.*

TRagico more, & ſcænico apparatu repræſentationes venerandæ paſſionis Chriſti Domini noſtri, vel glorioſorum Martyrum eius, aliorumue Sanctorum de inceps tam in loco ſacro, quam profano, fieri prohibemus ſub pœna arb. abſq; ſpeciali licentia noſtra in ſcriptis, manu noſtra, vel R. Vicarij noſtri generalis ſubſcripta; ne malitia hominum excreſcente deſtruantur, potius, quam ædificentur fideles, & propietate ac lacrymis, ad riſum, iocum & contemptum excitentur, quod & in

in cõcionibus paſſionis eiuſd. Domini noſtri, quas niſi luceſcẽte die fieri volumus, ſtatutum intelligi mandamus, ne quid in eis permittatur admitti, niſi quod probato Eccleſiæ ritu ad tanti myſterij grauitatem, & pietatem excitandam maxime pertinere dignoſcitur.

*De vſuris, & contractibus illicitis abolendis. Tit. xxxiij.*

CVpiditatem malorum omnium radicẽ in animarum perniciem latè graſſantẽ quantum (Dño adiutore) poſſumus in ciuitate noſtra ac diœceſi compeſcere cupientes, iuxta ſacros canones, & fel. record. Sixti Papæ V. conſtitutionem ab his qui ſequuntur contractibus omnino cauendũ atq; abſtinendum eſſe decernimus, & declaramus. Sique contrafecerint in eos vti vſurarios, & fœneratores via iuris alijſque opportunis remedijs procedetur.

Pecuniam, aliaſuè res nemo ſit, qui in ſocietatem mercatoribus, opificibus, aut negotiatoribus conferat ea conditione, vt ſors, vel capitale, fortuitis caſibus non ex-

ceptis,

ceptis, ſit ſemper integrum, & ſaluum.

Pecudum item & caprarum, aut porcorum greges, aut vaccarum, vel equarum armenta, aut alia huius generis animalia, paſtoribus, aut quibuſcumque perſonis, ad caput ſaluum ſine vlla exceptione caſuum naturalium, aut fortuitorum, ne tradãtur.

Certa lucri quantitas, pro incerta, veluti tot pro quolibet centenario, ſocietatis nomine, nullo pacto, aut obligatione conſtituatur.

In frumentorum emptionem caueant emptores ne ob anticipatam ſolutionem, aut mutuatam pecuniam, vllam pretij diminutionem, aut menſuræ acceſſionem, quærant, paciſcantur, aut accipiant.

Qui pecuniam mutuò dederit, cautionem ab eo, qui mutuò acceperit qua ſe tantum frumenti mutuo ab illo accepiſſe, vel emiſſe confiteatur, polliceaturque ſe tali tempore, aut menſe redditurum frumentum, vel illud quanti valuerit, ſoluturum ne ſponte quidem oblatam recipiat.

Pactiones, quibus emptor frumenti cum venditore conuenit, vt tradita pecunia non liceat venditori frumentũ emptori ſtatim

aut

aut quouis alio tempore tradere; ſed illud retinere debeat ad omnem emptoris inſtantiam, non ipſius qui emit, ſed eius qui vẽdidit periculo, illicitas eſſe declaramus.

Idem ſtatuimus de eo, qui emit à non habente frumentum, ea conditione, vt quandocunque fuerit à ſe requiſitus, illud tradere, vel quanti tunc temporis valuerit, ſoluere teneatur.

Vbi debitor ſoluendo non eſt, cautionem, qua ſe tantum frumenti menſe Aprili, vel Maio, aut redditurum, aut ſoluturum promittit, creditor ne recipiat, neque etiam ſi nullus certus menſis, aut tempus exactioni, aut ſolutioni præfigatur, niſi vere pecuniam illam negotiationi huiuſmodi deſtinaſſet, idq; cum compenſatione periculi, & expenſarum deductione fiat; caueaturque in talibus contractibus, ne ob dilati temporis æquitatem (vt vocant) triticum minoris, aut pluris iuſto pretio cõputetur.

Omnino vbi frumentum verè, & cum effectu non venditur, aut venale non exſtat vel ſperatur, cautionem de eo empto, vendito aut vendendo, & emendo, vel redden-

dendo, vt ſimulatam, & palliatam ita iniquam & illicitam eſſe declaramus.

Quod autem de re frumẽtaria dicimus idem de quibuſuis animalibus, ſericis, frugibus, pannis, alijſue rebus negotiatione expoſitis, dictum ſtatutũ, decretumq; cenſeatur.

Notarij meminerint ſe iuraſſe de vſurarijs, ac quibuſuis illicitis contractibus inſtrumenta non confecturos; & propterea caueant, ne periuri fiant, & tam ipſi, quam alij qui ad hæc ſcribenda aſſumuntur videant quid agant ne ſuo miniſterio ſe, & contrahentes æterne mortis periculo exponant.

## *De pœnis. Tit. xxxiiij.*

POEna, & præmio rempub. ſuſtineri, & maiorum auctoritas, & perpetuum comprobat experimentũ; quapropter ne dum cenſuras, & ſpirituales pœnas, quibus ferè omnia erant decreta ſynodalia referta, in ſolatium piarum animarum ſuſtulimus, & plures etiam temporales notabiliter attẽperauimus, delinquendi anſam præbuiſſe videamur, placuit ex pœnis dictorum ſynodorum, quas vſibus vel locis pijs ap-

plicandas, vbique & ſemper intelligimus, ſequentes confirmare, & quatenus opus eſſet de nouo ſtatuere.

Quo ad pœnas contentas in prima ſynodo ſub tit. de educatione veſtitu, tonſura, &c. clericorum conſtitutione 2. fol. 64. & ſequentibus: permittimus quod ad cap. nonum, vt caligis, & alijs veſtibus interioribus laicalibus, ne dum nigro, ſed albo & violaceo coloribus, vti poſſint, ſericum exterius prohibentes, pariter, & alia, quæ cap. 9. habentur ſub pœna arb. monentes præterea omnes & ſeriò ſeruare conſtitutionem fel. record. Sixti V.

Medicinæ vel legibus ciuilibus clericis operam dare prohibemus iuxta ſacros canones, & alios arb. pariter ne quis clericus vltra mensem extra diœceſim abſque litteris dimiſſorialibus valeat ſe conferre, poenam tenentes contra eos, quibus decentis tonſuræ veſtigium non apparebit iuxta cap. 8. Reliqua cōtenta inter ſecundum, & decimum caput ad iuris diſpoſitionem remittentes, cap. xi. & xij. contra deferentes arma & luſui taxillorum vel cartarum ſe immiſcentes tenemus: poenam tamen

pecu-

pecuniariam ad tertiam partem imminuimus, & ad ſextam tantum vbi cum armis alias nõ prohibitis, vel in luſu non fuerint deprehenſi, ſed tantum id à fiſco, vel accuſatoribus, fuerit per teſtes, vel aliter ſufficienter probatum. etenim per inquiſitionẽ etiam intendimus aduerſus eos eſſe proceden. ſimiliter contra frangentes exilium vel relegationem, cum ob miniſtrorum inopiam vix vnquam delinquentes apprehendi poſſint in fragranti: vnde audacioribus alias anſa adderetur delinquẽdi, non abſque Reipublicæ damno, & intolerabili ſcandalo: & hæc præter excommunicationes per nos latas ſeu confirmatas, extra ſynodnm: caput 13. contra vagantes de nocte tenemus, poenas ad dimidium reducentes.

Confirmamus etiam caput 14. contra concubinarios, vel ſuſpectas mulieres domi, vel extra retinentes punien. iuxta Sac. Can. & Trident. Conc. ſeſſ. 25. de reform. cap. 14. poenam tamen additam mille libr. ceræ ſcilicet conſtit. 12. fol. 192. ad arbitrium temperamus.

Prohibitionem autem cohabitationis etiam



Digitized by Google

cum matre, & amita &c. quæ habent c. 15.
Quo ad matrem, ſororem, neptem, amitam, ad terminos iuris, conſtitutionem moderamus; tolerantes iuxta conſuetudinem, vt abſque licentia eis cohabitare valeant ob paupertatem communem clericorum, qui regulariter uix habent vnde ſubſtentari valeant: vbi tamen mulieres cum illis non cohabitent, quo verò ad alias coniunctas vel alias non ſuſpectas, volumus vt omnes infra 20. dies, à publicatione huius ſynodi ſub poena arb. licentiam à R. Vicario generali petant, quæ gratis omnibus concedetur, vbi nihil rationabile obſtiterit.
Clericos turpis lucri gratia negotiari iniquũ, & ſcandaloſum eſſe omnes fatentur, poenas propterea contra eos contentas c. 16. fol. 75. placuit retinere, ſicuti, & 17. caput, quo prohibentur laicorum miniſtros aut procuratores fieri, aduocare, tabellionatus officium exercere, mederi, tutelam exercere vel curam ſuſcipere, & alia ibid. expoſita exercere, & 18. ne vilia exerceãt, nec famulentur foeminis, & 19. contra venatores, & cap. 20. contra clericos vagãtes, & 21. contra pernoctantes extra dioecesim

ceſim ita rigorem eorum temperamus, vt, clericis, qui reſidendi obligatione non adſtringuntur: etiam Vicarij foranei licentiam abeundi vſque ad menſem poſſint, in ſcriptis tamen, & gratis concedere; vltra verò recurrere teneantur ad Reu. Vicar. generalem à quo etiam reſidentiæ adſtricti, debeant ſub poenis ibidem contentis, ſi vltra dies quinque debeant in reditu, abſentiæ ſuæ ſignare dies, ne vltra tres menſes contingat, quemq; in anno extra diœceſim morari, cap. 22. poenã moderamus ad arbitrium, cap. vero 23. in quo tractatur de ſeru. clericorum, temperamus etiã iuxta decreta per nos ſub tit. de vita & honeſtate clericorum &c.

Conſtitutionem tertiam quæ habetur fol. 80. de diebus feſtis, quibus clerus inſeruire tenetur, reſtringimus ad dies feſtos de præcepto, ad commemorationem defunctorũ omnium, ad hebdomadam maiorem, & cum habentur ordinationes generales, aut alia de cauſa Epiſcopus ſolemniter, vel celebrat, vel aliud ſacrum ſolemniter facit, poenas aut contra inobedientes ibid. contentas retinemus, quatenus alibi per nos

non

non fuerint temperatæ.

Conſtitutionem quartam de proceſſionibus fol. 81. & ſeq. tenemus, pariter, & 7. fol. 86.

Conſtitutio 5. fol. 83. ſeruetur, quatenus correpta per nos non reperiatur, pariter & ſeruata fol. 85. de feſtis quibus Canonici Eccleſiæ inſeruire tenentur, & quo ad feſtum S. Martini quatenus ſit in vſu ſimiliter tenetur, & x. conſtitutio fol. 86. de proceſſionibus.

Conſtitutionem etiam octauam: de reformatione cultus diuini confirmamus, poenā tamen priuationis cap. 12. contra parochos non habentes capellanos pro ſufficiente animarum cura vel Eccleſiæ ſeruitio temperamus, arbitr. ſimiliter & poenam contentam cap. 13. priuationis beneficiorum contra non ſatisfacientes oneribus miſſarum, & aliarum obligationem temperamus, vt pro qualibet miſſa legenda ommiſſa, vltra poenam appoſitam forte à fundatore, vel teſtatore, incurrat ipſo iure poenam vnius caroleni, & trium pro cantanda, & vltra vbi pluris conſueuerit dari pro eleemoſina, trium etiam pro veſperi. Et dupplicetur poena ſi vltra 20. miſſas legēdæ

dæ reperientur ommiſſæ, vel tres cātandæ vel anniuerſarium bis fuerit prętermiſſum & nihilominus ſeruitia ommiſſa reſtituantur vel intra menſem ſuper eis concordetur cum fabrica eleemoſinam autem congruam pro miſſæ celebratione vnius caroleni, quæ hodie eſt in vſu, probamus: reuocantes excommunicationes quæ habentur fol. 91. cap. 16. contra parochos, qui infirmos alterius parochię ſine licentia audiunt, & c. 17. contra audientes confeſſionem extra Eccleſiam, poenam arbitrariam in earum locum ſubrogantes.

Poenam priuationis conſtitutione 17. fol. 89. contra non reſidentes, temperamus iuxta decreta noſtra de reſidentia.

Excommunicationis poenam contentam in conſtitutione 18. fol. 107. cap. 1. contra impedientes legata pia, & capi 12. contra notarios legata pia curiæ noſtræ non reuelantes probamus, cum ſequentibus capitibus poenam tamen excommunicationis latæ ſentētiæ contra impedientes aliquos legitimè quærere, temperamus in comminatoriam, & reuocamus facultatem magiſtratibus locorum & quibuſcumque ca-

plendi clericos, quibuſcunque modo, loco, vel cauſa niſi quatenus ſpecialiter eis fuerit per nos, vel ſucceſſores noſtros indultum. Mandantes Vicarijs noſtris, capitaneis locorum, tabellæ clericorum copiam eiſd. magiſtratus in itlo fieri.

Conſtitutionem 19. de cleri immunitate fol. 113. & ſeq. quatenus iuri conſonam probamus, monentes officiales omnes, & magiſtratus, ſæculares, iudices, vniuerſitates, electos, ſindicos, vectigalium exactores lanıones, & quoſcumque alios vltra poenas Sacrorum Canonum ſub poena excõmunicationis, ne clericos contra debitas immunitates exemptiones & priuilegia fraudent, moleſtent, grauent.

Nec verò dum Eccleſiaſticæ diſciplinę incũbitur ingeniorum renitentium licentiæ, ac ſubterfugijs inſeruiſſe videamur, veterum decretorum ſynodalium vi magna ex parte nouis conſtitutionibus ſublata, ijs quoq; iuxta eorum ſententiam & conatum per animo iam conceptam appellationem ſuſpendendis: decernimus, & declaramus; pro ea parte, & capitibus nouæ ſynodi, à quibus forte prouocabitur etiamſi ab vni-

uerſa

uerſa hac ſynodo appellaretur, nihil cēſeri debere per nos innouatū ſed firma,& illæſa remanere ſynodorum, ſeu ſtatutorum veterū antedictorum decreta quo ad loca ſeu collegia appellantium donec aliud fuerit à Sacr. Trid. Conc. congregatione definitum, cenſuris tantū, ſi quæ capitibus prædictis ipſo iure ineſſe compertum fuerit extare, niſi per nos extra ſynodum antea probatæ extiterint ſublatis,& incomminatorias attemperantes.

## De Zingaris obſeruandis. Tit. xxxv.

ZIngari vanum, & fallax hominū genus fere cum primum in locū aliquem diuerterint ab eius loci parocho vel Vicario vocati interrogentur an Chriſtiano,& catholico more viuant, an Baptiſmi, & Confirmationis ſacramenta receperint,an matrimonia tribus monitionibus præcedētibus in facie Eccleſiæ cum Sacerdotali benedi-

quia parochis non prohibentur communi-
centur, eiuſdemq; ſacrę cõmunionis proxi
mo paſchate ſumptæ aut ſaltem confeſſio-
nis cedulam oſtendant, an quadrageſimæ
tempore alijſue quibus eſt ieiunãdum, aut
carne abſtinendum diebus cibis vetitis ve-
ſcantur, an infirmi ac morti proximi poe-
nitentiæ viatici atque extremæ vnctionis
ſacramenta percipiant, & an defuncti chri-
ſtiano more tumulentur, ſi quid in eis quid
hæreſim, aut ſchiſma redoleat deprehēda-
tur, curiæ noſtræ denuncietur, vt contra
eos pro ſuo munere iuxta Sac. Can. ſtatuta
procedāt. Abuſus vero rapinas, diuinatio-
nes, manuum inſpectiones, ac deprauatos
eorum mores ita deteſtetur, vt intelligant
niſi ab eis abſtinuerint; ſe eſſe & ab Eccle-
ſia, & à diœceſi eijciendos, & pro modo
culpæ ſeuerè puniendos.

Digitized by Google

## *Adhortatio habita ad populum in fine ſynodalium coſtitutionum.*

ANtiquæ legis, Pontifice in ſanctuario miniſtrante, inter cætera ornamenta, quæ eius venuſtatem decorabant, Principem locum obtinebat lamina illa ex auro puriſſimo, in qua opere celatoris ſanctum domino inſculptum erat, quæ Hyacintina vitta ligata ſuper tiaram fronti Pontificis imminebat. In pectore, in rationali iuditij doctrina, & veritas refulgebat, ad pades vero Hyacintinæ tunicæ, qua induebatur mala Punica cũ tintinnabulis aureis cernebantur. His alijſq; ornamentis procedens Pontifex quam gratiſſimum Deo ſacrificium offerebat. verum .n. vero in figura, hæc omnia contigebant. Veritas .n. huius vmbræ eminenter in ſupremo Pontifice Chriſto Ieſu deriuatiue vero primo quidem, in terris eius vicegerente Romano Pontifice, tum in Catholicæ Eccleſiæ præſulibus, veluti hac tempeſtate, quod Dei eſt beneficium, in præſule noſtro digniſſimo Hectore Diotalleuio hodie quam clariſſime elucent, qui ſacrificium non Taurorum, aut Hircorum ſed voluntatum noſtrarum Deo adeſt oblaturus, ſacrificium inquam adeo gratum Deo, vt de illo, veluti Propheta teſtetur ſacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi, præſtat .n. obedientia vittimis, per has .n. aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. ergo quantum præminet anima corpori tantum

enim ſunt tot legum Decreta, vel Synodales conſtitutiones, niſi tot ſynodonſites Gemmæ, è ſynodonſis piſcis Cerebro coruſcantes, non quidem naturæ lumine; verum ab increata ſapientia in ſuperiori eius mente fulgentes, non aliud in eis, niſi ſanctum Domino inſpicitur lex enim (recte Philoſophus) non eſt tantum donum Dei, ſed ipſe Deus, qui enim paret legi, Deo paret, & obtemperat. Erit ne igitur quis adeo inſipiens, vt Gemmas reſpuat, & in lumine malo ſuo velit allucinari: obedire enim, & in obſequium Dei intellectum, & voluntatem captiuare fas erit, hac enim ſola virtute virtutes veluti omnes venabimur, nimirum fidem ſuo modo credendo (quod par eſt) Deum in noſtro paſtore loqui, qui enim vos audit, me audit pronunciat Chriſtus, ſpem cor noſtrum ad iuſtificationes propter retributionem inclinando. Charitatem verba quæ ab ipſo excipimus, & doctrinam operibus comprobando, ſic enim legem ſeruando Deum diligimus. Prudentiam ad finem gloriæ apta eligendo media legum Eccleſiaſticarum. Iuſtitiam Reuerendiſſimum Præſulem debito cultu obſeruando. Temperantiam, & falſam in peruerſis actibus libertatem abnegando. Fortitudinem difficultatibus, ne leges ſeruentur reſiſtendo. Si igitur obedientia ſola virtus eſt, quæ cæteras virtutes menti inſerit inſertaſque, vt Gregorius loquitur, cuſtodit ad Synodalia ſeruanda Decreta ardenti voluntate accedamus, nemo ſit qui tanti Pontificis iuſſis obſtet, huius omnino innitamur prudentia, & veriſſima atque coſtanti doctrina toto pectori ardore, cum rationis iudicio repleti ad legum Eccleſiaſticarum obſeruantiam anhelemus, vt autem ſpe noſtri profectus tamquam Hyacinthina Tunica glorietur indutus, ſint laici tot mala punica in Fimbria veſti-

menti,

Digitized by Google

menti, humilitate, ac zelo iuſtitiæ redolentia, eo vſque ad legum cuſtodiam ſint affecti, vt legem ſeruantibus præmium promiſſum aſſequantur (ſe eis mercedem perpetuam præbebit dominus) ſint demum Sacerdotes, & Clerici aurea tintinabula qui exemplo, ne dum verbo, continuo, legum reſonent obſeruantiam.

POſtremò omnia & ſingula quæcumq; in hac Diœceſana Synodo acta geſta, decreta, & ſancita ſunt, omni qua debemus reuerentia, humilitate, & obedientia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ omnium Eccleſiarũ matris, & magiſtræ iudicio atque auctoritati emendanda, & corrigenda ſubijcimus, & offerimus mandatis eius ſemper parere parati.

*Hector Epiſcopus S. Agathæ.*

Bartholomæus Florietta I. V. D. Archidiaconus Sanctæ Agathæ Gothorum confirmo vt ſupra, et vt Parochus S. Agathæ de Amarenis huius ciuitatis.

Ego Titus Calandrellus Decanus V. I. D. confirmo vt ſupra.

Ego D. Franciſcus Limatus Primicerius Agathen. prædicta confirmo etiam vt parochus SS. Bartholomæi & Petri.

Ego D. Ioannes Hieronymus Perna Primicerius prædicta confirmo.

Ego Berardus Andreas Caudinus Theſaurarius Sacræ T.D. confirmo vt ſupra, etiam vt parochus Cathedr. Eccleſiæ.

Ego Ioannes Vincentius Manerius Canonicus confirmo vt ſupra.

Ego D. Angelus Maria Galatius Vic. S. Gabrielis de Ayrola Ordinis Montis Olíueti pro parte totius Eccleſiæ & Monaſterij Iuriſpatr. v3. S. Laurentij de Burgo S. Donati, atq; S. Viti caſalis Luzani &c.

Ego D. Cæſar Maffæus Archipresbiter Arpadij confirmo vt ſupra.

Ego Claudius de Berna Archipresbiter Ayrolæ prædicta confirmo.

Digitized by Google

Ego D. Syluius Alonſus Arcipresbiter Durazzani con-
firmo vt ſupra.
Ego D. Marcus Antonius Ricciardus Archipresbiter
Terræ Fraxij Orcularum & Torelli confirmo vt ſup.
Ego D. Veſpeſianus Canellus Fraxinen. Archipresbi-
ter & Vic. foraneus Terræ Vallis confirmo vt ſupra.
Ego D. Pyrrhus Gioia Archipresbiter castri Ducentę
confirmo vt ſupra.
Ego D. Ioannes Matthæus Razzanus Archipresbiter ca
ſtri Balneoli firmo vt ſupra.
Ego D. Franciſcus Sabina viceparochus S. Ioannis à
Corte confirmo.
Ego D. Io. Matthæus Manerius viceparochus S. Nico-
lai extra muros confirmo vt ſupra.
Ego D. Vincentius de Fabritio parochus S. Angeli in
munculani S. Agathæ confirmo vt ſupra.
Ego D. Laurentius Barberius parochus S. Mariæ deſu-
tinis confirmo vt ſupra.
Ego D. Scipio Mancinus Primicerius Terræ Ayrolæ Vi-
carius perpetuus Veneb. Eccleſ. S. Donati Granciæ
Abbatiæ Montis Oliueti dictæ terræ affirmo vt ſupra.
Ego D. Iulius Baleſterius curatus S. Ioannis dello cari-
co terræ Ayrolæ confirmo vt ſupra.
Ego D. Io. Carolus Pironus curatus S. Angeli de Por-
tanoua terræ Ayrolæ confirmo vt ſupra.
Ego D. Pomponius Truppi Vicar. for. terræ Ayrolæ ac
parochus S. Angeli della Serpentara cōfirmo vt ſup.

Die vigeſima nona Aprilis 1621. quartæ indictionis De mandato Perilluſtr. ac Reuerendiſs. Patris, & R. D. Hectoris Diotalleuij Ariminen. Epiſcopi S. Agathæ lecta, & publicata & ſolemniter celebrata fuit duabus ſeſſionibus altera de mane altera poſt meridiem hęc diœſana ſynodus cum miſſa de Spiritu ſancto per eundem Reuerendiſs. D. celebrata, orationibus cæremonijs iuxta rubricas Pontificalis in S. Agatha in cathedrali ex ambone per RR. Canonicos D. Vincentium Manerium qui & orationem habuit, ac D. Sebaſtianum Sebaſtian præſentibus eod. Perilluſtr. & Reuerendiſs. Dño & ſupraſcriptis admod. RR. Dignitatibus, Canonicis Archipresbit. & Parochis (à quibus quatenus curam animarum gerunt etiam iuramentũ profeſſionis fidei palam & ſolemniter emiſſæ recepit) & frequenti clero, & populo. In quorum fidem ego D. Marcus Antonius Italia eiuſd. Cathedr. Canonicus & Notarius Apoſtolicus in Notarium & Secretarium ad hunc actum publicè & ſpecialiter electus hic me ſubſcripſi ſignumque meum quo vtor appoſui. Præſentibus ibid. R. Clerico Ioanne Baptiſta de Bernardis Romano; Dño Gaſpare Caudino Terræ Arpadij, Dño Martio Mazzone V. I. D. & D. Carolo Mazone Doctore Phiſico teſtibus ad præmiſſa habitis rogatis ſpecialiterque requiſitis.

Locus ✠ Signi

FINIS.

NAL 1527925

Digitized by Google